


BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XXV
E
114
NAPOLI



Digitized by Google

RATIO STVDIORVM.

SEV FACILIS ET compendiosa ad scientias capessendas strata via, in gratiam meorum, cuique etiam alij (si non displicet) vtilis ac profutura.

Cui opportunus accessit Tractatus de Spiritu Ordinis seu Religionis, communibus plurium sermonibus ita dictus, illis an æquè compertus, addubito.

Operâ F. N. LESGVILLIERII, Ordinis Minimorum sancti Francisci de Paula Professi Suession.



PARISIIS,
Apud SEBASTIANVM CRAMOISY, Typographum Regium ordinarium, viâ Iacobæâ, sub Ciconiis.

M. DC. XXXIX.

CVM LICENTIA SVPERIORVM.

Ad usum ... 1650. ... Januar.



AD LECTOREM.

AMICE Lector, ea boni esse natura perhibetur, vt vni licet addictum ac proprium, id est, in vnius aut paucorum gratiam institutum, aliis æquè nihilominus prodesse possit quamplurimis. Id si meum hoc fœlicitatis habeat opusculum, vt in commodum Fratrum meorum primariò comparatum; (vtique in pignus amplioris quod meditor) tibi etiã aut alij cuiuis prodesse

ã ij

poßit, non inuidebo; quin etiam mihi plausero, méque beatum prædicauero, quod in illius & tu societatem boni, communionémque veneris. Si quid interim in eo nacta fuerit perspicacia tua, quod expolitum minùs, aut accuratum, nec sit ad præcellentem attemperatum satis ingenij tui dotem; grauiori precor censura parce, memor illius cuius te præmonui consilij mei, nec non meorum quibuscum ago Minimorum Fratrum, ex instituto primario. Si quid è contrà probaueris, gaudebo, sic tamen, vt inde mihi tribuam nihil aut vendicem: sed istud quantulumcum-

que (si tamen ullum est) obue-nientis erga te meriti mei aut emergentis tantillæ laudis commendationisve, acceptum uniferam illi, à quo datum optimum, & omne donum perfectum defluit atque descendit. His igitur & tu, meis, si lubet, documentis utere, & potiora si potuissem, præstandi voto, faue.

LICENTIA.

NOs Frater ANTONIVS DV PRO Prouincialis Fratrum Minimorum Ordinis ſancti Franciſci de Paula in Prouincia Franciæ, facultatem facimus typis mandandi opuſculum, quod inſcribitur *Ratio ſtudiorum*, &c. *Cui acceſſit Tractatus de ſpeciali ac propria Religionis virtute*, calculo duorum Theologorum noſtri Ordinis approbatus. In quorum fidem ſubſcripſimus in noſtro Pariſienſi Conuentu, & ſigillo noſtri officij muniuimus die 31. Auguſti anno 1639.

F. ANTONIVS DV PRO
Prouincialis.

EPIGRAMMA.

TV quicumque cupis studiorum inuisere fontes,
Et Graeca Ausoniis iungere serta rosis,
Aspice quàm varia hinc atque hinc praerupta minantur,
Quámque anceps duris vepribus horret iter!
Ardua prima via est, & densis obsita dumis,
Difficiléſque aditus aspera saxa dabunt.
Non labyrinthaei maior fallacia tecti,
Multa vbi confuso tramite secta via est.
Sed tibi caeca reget certo vestigia filo,
Cui dedit optatum nomen & omen ACVS.
Vtque reguntur acu naues, sic illa labores
Et studia, & iuuenum dirigit arte vias.

A. R.



PRÆFATIO.



FFICIA commemorans Tobias iunior exhibita ſibi proficiſcenti in Rages ab Archangelo Raphaële: ex pluribus illis vnum hoc (vnde ſubſequuta cætera) minimè prætermiſit ; ſcilicet quòd viæ ſuæ comitem ſeſe adiungere , ſibíque ducatum prę̨ſtare dignatus eſſet, quò ſe neſcium itineris pa-

rentum iuſſa direxiſſent. Rages tempeſtatem commotionémque vertunt noſtri, quod in ſcientias noſtras mirè quadrat. Vix enim in rem quampiam aliam votorum noſtrorum ſtudiorúmque vehementior commotio eſt, auidiùs vix, inquam, appetentia exæſtuat noſtra, aut tumultuantur ſeu tumultuoſiùs ebulliunt ad illas contendentes omnium animi vel hebetiores. Ad id quidem non hoc ſolùm adacti ſtimulo, quòd nos parentum magiſtrorúmque ad eas inflectant iuniores. Ve-

rùm etiam ídque maximè, quòd teste Philosopho omnes scire desideremus, eóque præcipites agamur, primæ, vt creditur, Euæ matris ambitiosa curiositate bonum & malum scire flagrantissimæ. In hanc igitur tumultuosam expeditionem pergentibus Fratribus meis; illis vltrò offerendum me duxi: vt quod non sine tantillo licèt errore, emensus ipse aliquando fuissem iter; inde quasi tandem regressus, iterùm eôdem primùm ac recens pergentibus illis, me comitem ac ducem officiosus ad-

12. Metaph.

iungerem. Prosperam optans profectionem ac sperans, vel ex eo, quòd fœlicia charitatis nacta sit auspicia, quæ Paulo teste non agit perperàm. Cæterùm quænam futura sint vestigia nostra, quæ nobis calcandæ viæ, schema sequens aperiet.

SCHEMA IN QVO SERIES eorum continetur, quæ toto hoc opusculo traduntur & explicantur.

Qui litteris nauat operam, duo præ oculis habeat, & identidē recolat.

- Temporis inopiam ac citissimā illius fugam, idcircò
  - Sedulò agendum.
  - Necessariis incumbendum.
  - Nullum tempus otio prætereundum.
- Discēdorum multitudinem ac varietatem, idcircò cōpendio studendū, ad quod necessaria
  - Ingenium.
    - Quale.
  - Eiusdē cultura ad quā necessaria sunt tria.
    - Doctor.
    - Libri,
      - Pauci & primarij.
    - Lectionis ratio
      - Non præceps aut festina, quin & subinde statiua.
      - Memoriæ mādanda.
      - In Ingeniū transmutanda.



RATIO STVDIORVM.

DELICATÆ nimium foret indicium cuticulæ, si cuius latus alieno crederetur labore condoluisse, aut raucum fecisset alterum, alterius vociferatio. Certè Myndiridem è Sybaritarum ciuitate memorat Seneca, mollem adeò, vt cùm fodientem procul aliquando vidisset, lassum se fieri sit questus, ac membris penè omnibus fractum: ob idque feria-

Lib. 2. de Ira, cap. 24. 25.

tum ab opere, terræ iusserit esse cultorem. Iure ne teneritudinis istius nimiæ labes pertimescenda sit mihi, si dixero penè cæcutire me, vel ipsos mihi dolere oculos & caput, nimiâ perperam plura legentium quorumdam intensione, certè nescio. Verùm vt vt sit, confitebor, talium me dolere vicem: nec dissimili pridem sensu tactum lego Senecam erga Dydimum indefessum vtrique scriptorem, qui proptereà χαλκέντερος dictus est, cuius multùm miseret, illúmque misserrimum pronunciat, si quot fecisset iste libros, legere voluisset. Porrò nonnullus doloris istius mei futurus est fructus, si talium casso labori, quo possim consilio, qua arte, aut ope valeo, occurram atque

succurram. Cuius quidem consequendæ vtilitatis spes vna, meum induxit animum ad scribendum & concinnandum hoc opusculum in gratiam Fratrum meorum, quam studiorum appello rationem, eísque tituli huius do frontem.

HVIC itaque charitatis officio pro viribus incumbere disponenti, id in primis præfari liceat & annotare, peccatum originale & si mortalibus exitialissimum extiterit; aliqua tamen ex parte vel per accidens, filiis Adæ fuisse proficuum. Hinc Ecclesia ex intimis præcordiis exultabunda promit: O certè necessarium Adæ peccatum! O fœlix culpa, quæ talem ac tantum meruit habere redemptorem! Virus fuit fateor, naturæ inquam lethale

venenum; ſed alteri veneno æmulum & antidotum. Neque verum id quidem in hoc ſolùm quo ſpectat Eccleſia (quod certè maximum eſt atque præcipuum) ſed quod ad rem meam attinet, etiam exploratiſſimum, quatenus in torpentibus inertia noſtrum quāplurimis, ſciendi deſiderium accenderit, vtile prorſus, ſi honeſtum, ſi temperatum, & mediocritate condîtum. Siquidem cuncta noſcendi cupiditas bonum pariter & malum exæſtuans aliquando in matre Eua, altius, haud dubio defixit in nepotum animos appetentiam litterarum, & iraſcentis in nobis appetitus nimium ab arduis auerſi (improbo ſcilicet literario labore) torporē excuſſit, puerilíſque claſſici lo-

cum dedit.

Multa tulit fecitque puer, sudauit & alsit.

Et iterùm:

Non iacet in molli veneranda scientia lecto:

Illa sed assiduo parta labore venit.

Verùm, vt eo quod venenum fuit, vtamur antidoto, duo nobis imprimis occurrunt & agenda veniunt; alterum, vt istius desiderij sciendi nimium æstum & intemperantiam, tantillum remittere pro industria conemur; (est enim turbulenta passio omnis, & serenæ menti literis opportunæ prorsus inimica) alterum, vt quâ nihilominus compendiariâ ad capessendam vtilem ac necessariam eruditionem iri possit, aperiamus.

Quod ad primum, quæ plurima solent modum ac temperamentum adhibere studiis nimiis, & intensiores affectus flagrantioráque desideria quæque remittere; illa inquam velut agmine facto, ad extenuandas humanas scientias in vnum coaluisse, paritérque confluxisse videntur, quæ sint illa quæris? accipe.

Scientiæ humanæ næui sex.

1. Exilitas illarum seu tenuitas.
2. Easdem obtinendi difficultas, interdum etiam impossibilitas.
3. Insipida & ingrata illarum possessio.
4. Quin & exitialis in nobis sua proles.
5. Earumdem ex accidenti facilis iactura.
6. Etiã per se vsuræ breuitas.

1. Ad tenuitatis argumentum humanæ ſcientiæ noſtræ, hoc vel vnum ſatis, ne dum nimis eſſe poſſe videretur, quòd neceſſarius ad illam ſit ſenſuum noſtrorum vſus. hinc enim conſequens eſſe video, vt illa minus quaſi defœcata, ſeu, vt loquuntur Philoſophi, ſit à materia minus abſtracta, quia hi nempe ſenſus corporeis ſenſibilibúſque prorſus ſint addicti. Iſta minus intima; quia hi, extimis defixi, ſolíſque hæreant accidentibus. Iſta multis erroribus obnoxia; quia his illudi facillimè poſſit. Deniquè ſit iſta rerum minimarum, eò quòd per anguſtas ſenſuum rimas, peruius rebus magnis vſus eſſe non poſſit.

1m: humanæ Scientiæ Vitium

Reſpondebitur forſan, non omnem ſcientiam, experimen-

ro nostro fultam esse, aut solertiâ propriâ comparatam, sed docilitate potiùs, ex magistri nimirùm doctrina atque opera vt plurimum haustam & acceptam. Optimè id quidem, sed docilitas, auditus excludit sensum? Imò illius etiam supponit vsum necessarium. quin quòd inde nouum, vel inuiti nobis incautiùs ipsi ministrent aduersarii argumẽtum; Confirmatur enim ampliùs, quòd hâc docilitate cõquisita scientia, minima esse debeat, quatenus maior & vberior in discipulo recipiendæ, quàm in magistro cõmunicandæ doctrinæ sit facultas aut capacitas: dum capessendæ doctrinæ geminum in vnoquoq; vel hebetiore discipulo, sit organum, scilicet aurium, interdúmque pertusarum: vnicum

verò docentis linguæ ſit inſtrumentum. at quis dicat liquoris, verbi gratia, magnam infuſam eſſe copiam, qui nec anguſtiſſimi vaſis captum opplere ſufficit? exiguam tandem concedamus oportet ſcientiam eſſe, quæ pauciſſimarum conſtat eſſe rerum, ipſis vel ſenſibus noſtris obuiarum. Dic ſi audes (doctiſſimum iam quemque compello ac prouoco) num ſoluendis quæſtionibus quondam à Deo propoſitis B. Iobo illa ſuffecit? Imò vel illis etiamnum par eſt, poſt acceptam tam longam ab iſto vtique remotiſſimo ſæculo aduocationem? obuiarum nihilominus, vt benè noſti, illæ ſunt rerum. Sed noua fortè delectabunt theoremata, noua enim placent, dic igitur & in-

Iob. cap. 38. à num. 4. ad finem cap. n. 41. et cap. 39. [illegible] ad 30. usque

rùm etiam ídque maximè, quòd teste Philosopho omnes scire desideremus, eóque præcipites agamur, primæ, vt creditur, Euæ matris ambitiosa curiositate bonum & malum scire flagrantissimæ. In hanc igitur tumultuosam expeditionem pergentibus Fratribus meis; illis vltrò offerendum me duxi: vt quod non sine tantillo licèt errore, emensus ipse aliquando fuissem iter; inde quasi tandem regressus, iterùm eôdem primùm ac recens pergentibus illis, me comitem ac ducem officiosus ad-

12. Metaph.

iungerem. Proſperam optans profectionem ac ſperans, vel ex eo, quòd fœlicia charitatis nacta ſit auſpicia, quæ Paulo teſte non agit perperàm. Cæterùm quænam futura ſint veſtigia noſtra, quæ nobis calcandæ viæ, ſchema ſequens aperiet.

SCHEMA IN QVO SERIES eorum continetur, quæ toto hoc opuſculo traduntur & explicantur.

- Qui litteris nauat operam, duo præ oculis habeat, & idemtidē recolat.
  - Temporis inopiam ac citiſſimā illius fugam, idcircò
    - Sedulò agendum.
    - Neceſſariis incumbendum.
    - Nullum tempus otio prætereundum.
  - Diſcēdorum multitudinem ac varietatem, idcircò cōpendio ſtudendū, ad quod neceſſaria
    - Ingenium.
      - Quale.
    - Eiuſdē cultura ad quā neceſſaria ſunt tria.
      - Doctor.
      - Libri,
        - Pauci & primarij.
      - Lectionis ratio
        - Non præceps aut feſtina, quin & ſubinde ſtatiua.
        - Memoriæ mādanda.
        - In Ingeniū tranſmutanda.



RATIO STVDIORVM.

DElicatæ nimium foret indicium cuticulæ, ſi cuius latus alieno crederetur labore condoluiſſe, aut raucum feciſſet alterum, alterius vociferatio. Certè Myndiridem è Sybaritarum ciuitate memorat Seneca, mollem adeò, vt cùm fodientem procul aliquando vidiſſet, laſſum ſe fieri ſit queſtus, ac membris penè omnibus fractum: ob idque feria-

Lib. 2. de Ira, cap. 24. 25.

tum ab opere, terræ iusserit esse cultorem. Iure ne teneritudinis istius nimiæ labes pertimescenda sit mihi, si dixero penè cæcutire me, vel ipsos mihi dolere oculos & caput, nimiâ perperam plura legentium quorumdam intensione, certè nescio. Verùm vt vt sit, confitebor, talium me dolere vicem: nec dissimili pridem sensu tactum lego Senecam erga Dydimum indefessum vtique scriptorem, qui proptereà χαλκέντερος dictus est, cuius multùm miseret, illúmque misserrimum pronunciat, si quot fecisset iste libros, legere voluisset. Porrò nonnullus doloris istius mei futurus est fructus, si talium casso labori, quo possum consilio, qua arte, aut ope valeo, occurram atque

ſuccurram. Cuius quidem conſequendæ vtilitatis ſpes vna, meum induxit animum ad ſcribendum & concinnandum hoc opuſculum in gratiam Fratrum meorum, quam ſtudiorum appello rationem, eique tituli huius do frontem.

HVIC itaque charitatis officio pro viribus incumbere diſponenti, id in primis præfari liceat & annotare, peccatum originale & ſi mortalibus exitialiſſimum extiterit; aliqua tamen ex parte vel per accidens, filiis Adæ fuiſſe proficuum. Hinc Eccleſia ex intimis præcordiis exultabunda promit: O certè neceſſarium Adæ peccatum! O fœlix culpa, quæ talem ac tantum meruit habere redemptorem! Virus fuit fateor, naturæ inquam lethale

venenum; sed alteri veneno æmulum & antidotum. Neque verum id quidem in hoc solùm quo spectat Ecclesia (quod certè maximum est atque præcipuum) sed quod ad rem meam attinet, etiam exploratissimum, quatenus in torpentibus inertia nostrum quāplurimis, sciendi desiderium accenderit, vtile prorsus, si honestum, si temperatum, & mediocritate condîtum. Siquidem cuncta noscendi cupiditas bonum pariter & malum exæstuans aliquando in matre Eua, altius, haud dubio defixit in nepotum animos appetentiam litterarum, & irascentis in nobis appetitus nimium ab arduis auersi (improbo scilicet literario labore) torporē excussit, puerilisque classici lo-

cum dedit.

Multa tulit fecitque puer, sudauit & alsit.

Et iterùm:

Non iacet in molli veneranda scientia lecto:
Illa sed aßiduo parta labore venit.

Verùm, vt eo quod venenum fuit, vtamur antidoto, duo nobis imprimis occurrunt & agenda veniunt; alterum, vt istius desiderij sciendi nimium æstum & intemperantiam, tantillum remittere pro industria conemur; (est enim turbulenta passio omnis, & serenæ menti literis opportunæ prorsus inimica) alterum, vt quâ nihilominus compendiariâ ad capessendam vtilem ac necessariam eruditionem iri possit, aperiamus.

Quod ad primum, quæ plurima ſolent modum ac temperamentum adhibere ſtudiis nimiis, & intenſiores affectus flagrantioráque deſideria quæque remittere; illa inquam velut agmine facto, ad extenuandas humanas ſcientias in vnum coaluiſſe, pariterque confluxiſſe videntur, quæ ſint illa quæris? accipe.

Scientiæ humanæ næui ſex.

1. Exilitas illarum ſeu tenuitas.
2. Eaſdem obtinendi difficultas, interdum etiam impoſſibilitas.
3. Inſipida & ingrata illarum poſſeſſio.
4. Quin & exitialis in nobis ſua proles.
5. Earumdem ex accidenti facilis iactura.
6. Etiã per ſe vſuræ breuitas.

1. Ad tenuitatis argumentum humanæ ſcientiæ noſtræ, hoc vel vnum ſatis, ne dum nimis eſſe poſſe videretur, quòd neceſſarius ad illam ſit ſenſuum noſtrorum vſus. hinc enim conſequens eſſe video, vt illa minus quaſi defœcata, ſeu, vt loquuntur Philoſophi, ſit à materia minus abſtracta, quia hi nempe ſenſus corporeis ſenſibilibúſque prorſus ſint addicti. Iſta minus intima; quia hi, extimis defixi, ſolíſque hæreant accidentibus. Iſta multis erroribus obnoxia; quia his illudi facillimè poſſit. Denique ſit iſta rerum minimarum, eò quòd per anguſtas ſenſuum rimas, peruius rebus magnis vſus eſſe non poſſit.

Reſpondebitur forſan, non omnem ſcientiam, experimen-

to noſtro fultam eſſe, aut ſo-
lertiâ propriâ comparatam, ſed
docilitate potiùs, ex magiſtri
nimirùm doctrina atque opera
vt plurimum hauſtam & acce-
ptam. Optimè id quidem, ſed
docilitas, auditus excludit ſen-
ſum? Imò illius etiam ſupponit
vſum neceſſarium. quin quòd
inde nouum, vel inuiti nobis
incautiùs ipſi miniſtrent aduer-
ſarii argumētum; Confirmatur
enim ampliùs, quòd hâc docili-
tate cōquiſita ſcientia, minima
eſſe debeat, quatenus maior &
vberior in diſcipulo recipien-
dæ, quàm in magiſtro cōmuni-
candæ doctrinæ ſit facultas aut
capacitas: dum capeſſendæ do-
ctrinæ geminum in vnoquoq;
vel hebetiore diſcipulo, ſit or-
ganum, ſcilicet aurium, inter-
dúmque pertuſarum: vnicum

verò docentis linguæ ſit inſtru-
mentum. at quis dicat liquo-
ris, verbi gratia, magnam infu-
ſam eſſe copiam, qui nec an-
guſtiſſimi vaſis captum opple-
re ſufficit? exiguam tandem
concedamus oportet ſcien-
tiam eſſe, quæ pauciſſimarum
conſtat eſſe rerum, ipſis vel
ſenſibus noſtris obuiarum. Dic
ſi audes (doctiſſimum iam
quemque compello ac prouo-
co) num ſoluendis quæſtioni-
bus quondam à Deo propoſi-
tis B. Iobo illa ſuffecit? Imò Iob. cap. 38.
vel illis etiamnum par eſt, poſt [illegible]
acceptam tam longam ab iſto [illegible]
vtique remotiſſimo ſæculo ad- [illegible]
uocationem? obuiarum nihi-
lominus, vt benè noſti, illæ
ſunt rerum. Sed noua fortè de-
lectabunt theoremata, noua
enim placent, dic igitur & in-

telligentiæ ſi quæ ſit tuæ, vires
1. exere, quæ ratio oceanum ef-
fundit ac reuocat? quare ſepti-
2. mus quiſque annus, ætati ſi-
3. gnum imprimit? quid ſit quod
geminorum conceptum ſepa-
4. ret, partum iungat? cur pari-
ter natis fata diuerſa ſunt? ma-
ximíſque rerum ſpatiis diſtent,
quorum inter ortus mini-
5. mum intereſt? quæ vis illa in
quorumdam hominum oculis
(quod genus hominum *zahu-
ris* Hiſpani vocant) vt abdita
in imis terræ penetralibus me-
talla, aquarum venas, & ſub
ſarcophagis ſita cadauera, vi-
deant & agnoſcant? Quæ vir-
6. tus in TENTYRITIS populis
(ita dictis ab Inſula Nili, in
qua gens illa habitat) vt cùm
paruo ſint corpore, terrori ta-
men fiant Crocodilis, illis in-

sideant quasi equis, & iniecta in os claua, quocumque ducant, flectant ac torqueant? Edissere nobis, cur Hyænæ vmbrâ canes obmutescant? Cur quernis frondibus tacti serpentes emoriantur? Cur furentes tauri mansuescant, mox vt ficui alligati fuerint? Quæ vis in Remora vt concitissimas naues sistat? vt aspectu vel cantu galli tantopere leo contremiscat? hæc ni nostra sufficiant ad angustias certè tibi faciendas, & nimium præsumentis obruendum apicem ingenij, aut deprimendum erectius culmen, suis superueniens Augustinus nouis sic vrgebit quæstionibus, donec oppressus gemas sub pondere, tandémque fatearis & agnoscas, esse te illis imparem enodandis, &

ad notiſſima vel naturæ penitus cæcutientem. Proſtant autem illæ lib. 21. c. 4. & 5. Quin quod timeam, ne non iſta quidem abditiora tantùm, ſed nec domeſtica vel etiam familiariſſima quæque alia veriſſimè teneas, & intellectu perſpicias, ſed tum demùm ſcire te quipiam putes, cùm ſolum nomen ipſum cognitũ habeas. Id experimento iam iam vel ex te probauero, ſi modò fateri te nõ pudeat victum, tibi itaq; propono verbis (ſi benè memini) ipſiſſimis, quibus & perito ſatis phyſico dudum obiecta quæſtio eſt. Nuper, inquiebat aliquis alteri, ex India familiaris meus lapillum mirè luminoſum deportauit, qui totus quaſi incenſus admirabili lucis ſplendore fulget, iactatiſque radiis

ambientem aërem lumine quoquo versum implet. Is terræ impatiens, suopte impetu confestim in sublime euolat, neque verò angustè haberi potest, sed amplo liberóque tenendus est loco: summa in eo puritas, summus nitor, nulla se labe, sorde nulla patitur inquinari. Figuræ species illi nulla certa, amplitudo seu moles, discretionis ambiguæ. Cúmque sit aspectu longè pulcherrimus, sese tamen contrectari non sinit, quin si diutiùs adnitaris, feriet acriter. Siquid illi demitur, fit nihilo minor: huius prætereà vis, ad plurima tum vtilis, tum summè necessaria. hæc quæstionis summa. Compellatus itaque physicus quid rei hoc esset edisseret, fassus est ignorare, seséque ca-

ptum aperta tandem veritate miratus est. te verò putem Oedippum, vt non eodem ænigmate capiaris & ipse? Itaque responde citiùs & tu, nescis? doceo, ignis est, flamma est, reclamas, igne tibi notius nihil, aut obuium æquè? scilicet. Certè nomen tantùm vt video compertum fuerat flammæ seu flammantis carbonis, cùm nec ex ipsa forma, nec ex qualitatibus, virtute aut effectibus etiam expressis quid esset rei, verè noueris: profectò rerum scientia, non ex nominibus æstimanda est, neque enim res ipsa nominibus, sed nomina potiùs rebus obsecundant. Dices ignorantiam visibilium quorumdam, qualia sunt eorum quæ recensuimus pars magna, cumulatissimè suppleri

vel compensari scientia præstantiorum vtique abstrahentium à materia, vt putà intelligibilis & intelligentis naturæ ipsius vtique rationalis animæ. Verùm quod ad hominem ipsum attinet, adhuc sub iudice lis est, incompertum adhuc est, nec omnium calculis approbatum, sit-ne Rationale, hominis differentia. Ex aduerso siquidem stant plerique ex veteribus philosophis, Empedocles, Parmenides, Democritus, Porphyrius, Plutarchus libro quòd bruta vtantur ratione, & ipse Galenus, exhortatorio ad bonas artes capessendas, scribit omnibus animantibus inesse ἐνδιάθετον λόγον, id est rationem intus latitantem: hócque hominem à brutis differre, quòd rationem suam verbis

queat exprimere. Quin & Cardinalis Hosius, ne ratione quidem nec oratione, seu sermone, sed religione sola & cultu diuino discriminari vult hominem à brutis: piè credo, rationibus inuictus.

Quin, quòd ad ipsam animam attinet quâ homo est, cuiusnam sit illa naturæ, vix ignotius aliquid aut incertius quidquam est humanæ rationi, de qua enim re obsecro plurium contentione placitorum aliquando certatum est? dum illam alii corporis expertem esse rentur, alii velut splendidum quoddam ac æthereum corpus esse vt Galenus, cui & incautiùs subscripsisse visus est Tertullianus, corpulentam illam, effigiatam, & coloratam admittens, insuper & propu-

Galen. li. 7. de placit. Hipp. & Plut.

De anima c. 9.

gnans. alij spiritum esse, vti- 3.
que vitalem: alij calorem non 4
ascititium quidem aut aduen-
titium, sed innatum, & qui ab
ipso statim extiterit principio;
quamquam Hippocrates ipse, Lib. de
suam benignè hoc de calore carnib.
sententiam interpretatus, post- [illegible]
modum subiungit atque con-
cludit [profectò mihi videtur,
id quod calidum calorémve di-
cimus, quoddam non mortale
esse] alij ne esse quidē propriam 5.
illius aliquam substantiam, sed
proprietatem substantię corpo-
ralis, earúmque rerum faculta-
tem habere, quas natura potest
efficere. [In his ego, inquit Lib. de
Galenus, medium quemdam tremo-
ordinem teneo.] quisnam ve- re & ri-
rò sit ille, non exprimit, qua- gore.
propter si vales, augurare: opti-
mum tamen hac in re coniecto-

rem Fernelium audio sic comminiscentem. Anima, inquit, neque sola proprietas est substantiæ corporis, ex elementorum orta qualitatibus, neque simpliciter substantia incorporea, quæ per se subsistat, nullo corporis indiga subsidio: at sic, ea medio posita est ordine, quatenus incorporea cùm sit, corporis tamen commodis subseruiat, neque possit citra bonam eius temperiem, integras functiones tantisper dum informat obire. Tandem sese attollens, & contemplatione velut in cælum efferens idem ipse Galenus hæc pronunciat, [Anima est vniuersitatis animæ defluxus, è cælica regione descendens, scientiæ capax, quæ semper ad sibi similẽ viam cognatámque substantiam aspirans,

Lib. de vteri conceptu.

terreſtribus relictis, omnium ſuprema petit, cælicæ diuinitatis particeps, ſuper cęleſtem locum ſæpiùs contemplans, vna omnium rerum moderatori aſſiſtit.] Hæc ille. Hinc tamen videas & expaueſce, quò tandem pertingat humana ſummorum vel Philoſophorum intelligentia, quæ ex ſuo nedum fonte valet emergere, quin nec vſque ad ſeſe (vt ſui nimirum ſit conſcia) extendi poſſit, quantò minus ad remota ac diſſita? Vrgebo tandem de ipſarum quæſtionem origine animarum? quæ certè ſummorum pridem tantopere torſit ſapientum ingenia, Auguſtini maximè, vt videre eſt operum ſuorum tom. 2. epiſt. 28. vtrùm ſcilicet è cælo lapſæ, & ante formata corpora præparatæ,

NB. De origine Rationalis Animæ.

epist. 28.

vt Pythagoræ, Platonicis omnibus, nec non Origeni placuit? an ex propria Dei ſubſtãtia deciſæ, vt Stoicis? an ex traduce. id eſt, an ex illa vna quæ primo parenti data eſt, cæteræ ſucceſſiuè propagentur, ſicut ex corpore corpora, vt Tertulliano? an denique ſingulis quibuſque ſingulæ ac nouæ in dies creentur? Sed verbis pluribus parco ne te obruam. Sufficiat vt ex prædictis ſtet dicti mei veritas manifeſta, nimirum perexiguam eſſe cognitionem humanam, veriùs forſan adhuc, ſi de ſe quiſque fateatur, quod de ſe ipſo ſentiebat Socrates, nempe vnum ſe ſcire quòd nihil ſciret; concedamus tamen eſſe aliquam vel tantillã.

2. Verùm huius qualis qualis comparandæ notitiæ diffi-

cultatem, interdum etiam, vt dixi, impossibilitatem, apertissimè demonstrat rerum ad eam necessaria copia. Nam ingenij imprimis fœlicitas, & ad literas benè comparati docilitas desideratur; quàm paucos autem inueniamus, quibus hæc duo pariter suppetant: diuersæ sunt enim naturæ dotes, ingeniosum esse, & ad literas aptum seù liberalibus artibus idoneum. Corporis item prospera valetudo necessaria: nam corpus quod corrũpitur aggrauat animam, & eò dirigitur mentis intentio & attentio, quò vocat corporis dolor & ægritudinis sensus. Nam, quod ait Apostolus, *Cùm infirmor tunc potens sum;* moraliter intelligendum existimo. His adde librorum copiam, & magistri consuetu-

dinem, in quos ſanè non minimus ſumptus impendi ſolet, quem facere non valet, quiſquis vnde faciat illum, non habet. Loquar de improbo ac tenaci labore, quo dij vendunt omnia ipſam vel maximè ſcientiam? Id obteſtatur toto primo capite Eccleſiaſtes concludens, quòd qui addit ſcientiam, addat & laborem. In quæ verba D. ipſe Hieronymus ſic habet, [Non ita ſe præbet mentibus (putà ſapientia) vt lux viſui, ſed per tormenta quædam & intolerandum laborem, iugi meditatione & ſtudio prouenit.]

Quid denique artis ipſius prolixitatem commemorem, cum vitæ huius breuitate compoſitam? tot vtique támque multiplicibus humanæ ſocieta-

VITA BREVIS, ARS vero LONGA, occasio praeceps, experimentum periculosum, iudicium difficile

tis officiis distractæ? quibus certè aliísque quamplurimis seriò pensatis, affirmare ausim, VOLENTI CVIQVE PROMPTIVS ESSE BONVM AC SANCTVM FIERI QVAM ERVDITVM. Quidni? ad scientias non pertingit nisi naturalis ingenij bonitas: ad sanctitatem, etiam idiota aptus est. Istis capessendis, obest plurimùm valetudo aduersa; & ad virtutem etiam hæc confert. Est, mihi crede, ait Seneca, etiam in lecto virtuti locus. Sed firmiorem habemus propheticum sermonem, imò etiam diuinum Christi Domini verbum, Virtus in infirmitate perficitur. Cuius D. ipse Paulus posteà benè conscius dicebat, *Cùm infirmor, tunc potens sum.* Istis paupertas inuidet & officit. hanc illa ma-

Problema & Paradoxa.

Epist. 78.

ximè promouet, hinc alta paupertas ab Apostolo nominatur. In istis, doctor homo conquiritur; at qui pietati studet & incumbit, nacti doctoris vtique diuini prærogatiuâ gaudet & prævalet. In istis, post longa concertationum exercitationúmque curricula, laurea doctoralis conceditur: in hac, nonnunquam & tyro adhuc, rude donatur. [d] facile est enim in oculis domini subitò honestare pauperem. Huic nec emptitij quæruntur libri, nec olei nocturni nidor grauis nares ferit, aut fuligo oculos inficit, nec summas manus ferula quatit, nec dubiæ notitiæ timor animum suspendit, nec inanitas ieiunum facit, nec insipiditas nauseam ingerit, nec labor frangit. Suum non abnuo

[d] Ecclef. 11. 23.

tamen

tamen virtuti laborem esse, sed inesse contendo saporem, suum persentiri gaudium, gaudium inquam in Spiritu sancto, vtique superabundans in omni vel tribulatione.

Corollarium his addet Seneca, neque tamen de malignitate naturæ (inquiens) queri possumus, quia nullius rei difficilis inuentio est, nisi cuius hic vnus inuentæ fructus est inuenisse. quidquid meliores nos beatósque facturum est aut in aperto aut in proximo posuit, paucis opus est ad bonam mentem literis. sed nos vt cætera in superuacaneum diffundimus. Hæc ille.

Sed vnde digressa fuerat occasione paradoxi, eò iam reuertatur oratio, & ad tertium humanæ doctrinæ defectum,

illius inanitatem scilicet veniamus.

Heu quoties illa malè nos habet fastidio sui, quoties exclamare compellit, Nauseat anima nostra super cibo isto leuissimo, quoties ad lamenta prouocat, & querulas Hieremiæ voces, Ventrem meum doleo, Ventrem meum doleo; experto vel Augustino credamus. Anxius ibat ille panegyricum habiturus in inauguratione Consulis Bautonis, quid inter eundum sentiret aut mẽte volueret, audiamus. Transiens, inquit ille, per quendam vicum Mediolanensẽ, animaduerti pauperem mendicũ, iam credo saturum, iocantem atque lætantem, & ingemui, & locutus sum cum amicis qui mecum erant, multos dolores

Lib. 6. conf. cap. 6.

insaniarum nostrarum, quia omnibus conatibus nostris, qualibus tunc laborabam sub stimulis cupiditatum, trahens infœlicitatis meæ sarcinam, & trahendo exaggerans; nihil vellemus aliud, nisi ad securam lætitiam peruenire. quò nos mendicus ille præcessisset, nunquam fortasse illuc venturos. quod enim iam ille pauculis & emendicatis nummis adeptus erat; ad hoc ego tam ærumnosis anfractibus & circuitibus ambiebam, ad lætitiam scilicet corporalis fœlicitatis; non enim verum ille gaudium habebat, sed ego illis ambitionibus multò falsiùs quærebam, & certè ille lætabatur; ego anxius eram, securus ille; ego trepidus. Huc vsque. Ex quo liquet ex Augustini sensu ac senten-

tia, plus valere ad explendos ventris sinus, beandósque sic homines, fragmen panis vel secundarij, mendicatam vtique stipem, quàm scientiam vel confertissimam aut multiplicem; beatiorem, inquam, pane saturum, quàm eruditione refertum qualem ipsum. Cuius rei argumentum aliud est, inexplebilis esuries illa vel appetentia vlterioris ampliorisque etiam in longè profectis scientiæ, quam non immeritò comparandam existimauerim spongiosis, ventosis, rarioribúsque cibis illis, quibus proprium est plus distendere ventrem, quàm nutrire: sic sunt humanæ scientiæ, inanes quidem ad saturitatem, solùm ad distensionem tumorémque efficaces. Nunquid hoc ventoso pastu intumuêre

pridem vsque ad disruptionem & crepitum sapientes illi, quorum meminit Apostolus? qui cùm Deum cognouissent, euanuisse in cogitationibus suis perhibentur? quid hoc est euanuisse? nisi bullarum instar quas insufflantes calamo feriati ac ludentes pueri conflant, & eo vsque distendunt, donec penitus soluantur & euanescant, quorum numero adscribendi omnes hæretici, hodiéque quamplurimi, quorum æternæ damnationis vna causa est, sciuisse. Heu quàm exitialis quondam eruditio, nimiúmque in Origene acumen ingenij, cuius merito ac miraculo fuerit auctoritas illius tanta, vt omnium penè communis sensus esset atque sententia, malle se cum Origene errare,

Rom. 1.

quàm cum aliis vera dicere. Dum interim audire cogitur. hic tamen Origenes tantus ac talis, dum gratia Dei insolétiùs abutitur, dum ingenio suo nimiùm indulget, sibíq; plus credit, dum paruipendit antiquam Christianæ religionis simplicitatem, dum se plus cunctis sapere præsumit, &c. meruit vt de se Ecclesiæ Dei diceretur, Si surrexerit in medio tui prophetes, non audies verba illius. & iterùm, Licet aut Angelus de cælo euangelizet vobis præterquàm quod euangelizatum est, anathema sit. Quod equidem anathematis fulmen in eum decies œcumenica Synodus torsisse memoratur.

Deut. 13.

Ad Gal. 1.

Quid audire profuit Tertulliano, quid hoc viro doctius? quid in diuinis atque humanis rebus exercitatius? nempe om-

nem philosophiam & cunctas Philosophorum sectas, auctores, assertorésque sectarum, omnésque earum disciplinas, omnem historiarum ac studiosorum varietatem mira quadam mentis capacitate complexus est; ingenio vero, nónne tam graui ac vehementi excelluit, vt nihil sibi penè ad expugnandũ proposuerit, quod non aut acumine irruperit, aut pondere eliserit? oratio verò, tanta nescio qua rationum necessitate conferta est, vt ad consensum sui, quos suadere non potuerit, impellat. Cuius quot penè verba, tot sententiæ sunt, quot sensus, tot victoriæ, si tamen post hæc omnia subtexat eruditus auctor Vincentius Lirinensis. His tandem Tertullianus Catholici dogmatis pa- Aduersus hæreses cap 24.

rum tenax, & disertior multò quàm fœlicior, mutata sententia fecit ad extremum, quod de eo beatus Hilarius scripsit. Sequenti errore detraxit scriptis probabilibus auctoritatem. Infœlix homo, proinde
s. Cōf. exclamat Augustinus, qui omnia illa scit (naturales vtique ac humanas scientias) te autem nescit, (Deum scilicet, beatus homo qui te scit, etsi illa nesciat; qui autem & te & illa nouit, non propter illa beatus est, sed propter te solum beatus, si cognoscens adorauerit te, & non euanescat in cogitationibus suis.

NB. pg. ..

Porrò differentias humanæ scientiæ ab ea quæ de Deo est, quæque Sanctorum esse dicitur, & de qua hîc Augustinus, alteram componens alteri bel-

sè prosequitur Bernardus, eásque pensat ac censet ex sex capitibus, si sparsam tamen in diuersis tractatibus doctrinam eius, benè legi, collegi, ordinaui, ac pressi. nimirùm, D. Ber. serm. in Cantic. 8.9.30.

a Ex causa vtique proxima.
b Ex effectu.
c Obiecto.
d Medio.
e Ordine ac modo.
f Fine.

a Ex causa, inquam, proxima: siquidem, & si vtraque notitia sit à Deo, omnium vtique scientiarum domino. Ad Rom. 1. Deus enim illis reuelauit, putà philosophis. item 1. Corint. 2. Nobis, vtique fidelibus, reuelauit Deus: De hac tamen sola posteriore, specialiter additur, per Spiritum sanctum. Reuelatio autem quæ

fit per Spiritum sanctum, non solùm illuminat ad cognitionem, sed etiam accendit ad amorem, dicente Apostolo, Charitas Dei diffusa est per Spiritum sanctum in cordibus nostris.

b En effectus duplex ac geminus in his, tantùm in istis vnicus ac simplex. Hinc scientiam illam, quæ est per Spiritum sanctum, instar esse dicit Apis, ceram & mel fundentis, vnde habet, inquit, vt accendat lumen scientiæ, & infundat saporem gratiæ.

c Dixi ex obiecto: audi quid philosophis de Deo reuelatum sit, sempiterna virtus eius & diuinitas. Vides, inquit, ille, quia quod sublimitatis & maiestatis est in sublimitate Spiritus non Dei, sed sui rima-

ti sint. Quòd verò mitis sit & humilis corde, quòd amore nostri factus homo, quòd passus, &c. penitùs ignorarint, & tamen illud est quod scientiam Sanctorum dulcat, eleuat, & in immensum atrollit, dum ea de Deo norunt, quorum in natura vestigium nullum, imò plurimus obluctatur sensus, equidem cùm ad scientiæ præcellentiam; tum ad fidei suæ meritum ista pertinere eleganti ssimè profitetur Tertullianus his verbis. [Quidquid Deo indignum est (iudicio scilicet insipientium) mihi expedit, saluus sum si non confundar de Domino meo, qui me, inquit, erubuerit coram hominibus, erubescam eum coram patre meo: alias non inuenio materias confusionis, quæ me per

Tertul. de carne Christi.

contemptum ruboris probent benè impudentem & fœliciter ſtultum. natus eſt Dei filius, non pudet, quia pudendum eſt. mortuus eſt Dei filius, prorſus credibile eſt, quia ineptum eſt. ſepultus eſt & reſurrexit, certum eſt, quia impoſſibile eſt.]

4ᵗᵒ diſcrimen
d Ex medio quoque diſcrimen eſt: dicat enim nobis Apoſtolus, per quid cognouerunt Philoſophi ſublimitatis & maieſtatis iſtud Dei? vtique per ea quæ facta ſunt, & ex magnitudine ſpeciei & creaturæ: at fideles & ſancti, ex inuiſibilibus ipſis Dei, nempe fide ac reuelatione. eſt enim fides ſperandarum ſubſtantia rerum, argumentum non apparentium.

V. diſcrimen ex ordine et modo.
e Ex ordine & modo diſcrimen apparet [Tempus bre-

ue est, inquit idem Bernardus, tu igitur qui in timore & tremore salutem operari pro temporis breuitate festinas, ea scire priùs, ampliúsve curato, quæ senseris viciniora saluti. [Qui se putat aliquid scire, ait Apostolus, nondum scit quomodo oporteat scire.] Vides quoniam non probat multa scientem, si sciendi modum ordinémque nescierit. Vtrumque verò verbis apertissimis commonstrat, scilicet, vt id prius quod maturius ad salutem: quo studio: vt id ardentius, quod vehementius ad amorem. Addit postmodum, subdiuidendo illud ipsum quod priùs discendum est: [Volo, inquit, animam scire seipsam, quod postulat ratio & vtilitatis & ordinis.] Ordinis

1. Cor. 8.

quidem, quoniam quod nos ſumus, primùm eſt nobis: Vtilitatis verò, quia talis ſcientia non inflat, ſed humiliat, & eſt quædam præparatio ad ædificandum: niſi enim ſuper humilitatis ſtabile fundamentum, ſpirituale ædificium ſtare non poteſt: porrò ad humiliandum nihil anima inuenire poteſt viuacius, quàm ſi ſe in veritate inuenerit, tantùm non diſſimulet, non ſit in ſpiritu eius dolus. Nónne ità ſe intuens clara luce veritatis, inueniet ſe in regione diſſimilitudinis? & ſuſpirans miſera, quam iam latere non poterit quòd ſit miſera, nónne cum Propheta clamabit ad Dominum, [In veritate tua humiliaſti me?] Nam quomodo non verè humiliabitur in hac vera-

cognitione sui, cùm se perceperit oneratam peccatis, mole huius mortalitatis aggrauatam, terrenis intricatam curis, carnalium desideriorum fæce pollutam, cæcam, curuam, infirmam, implicitam multis erroribus, expositam mille periculis, mille terroribus trepidam, difficultatibus implexam, mille suspicionibus anxiam, mille necessitatibus ærumnosam, procliuem ad vitia, ad virtutes inualidam? vnde iam extollentia oculorum, vnde leuare caput? nónne magis conuertetur in ærumna sua, dum configitur spina? Sequitur secundum membrum prioris notitiæ: porrò conuersa ad Dominum recipiet consolationem, Ad me ipsum anima mea conturbata est,

propterea memor ero tui. Tali itaque experimento, & tali ordine, salubriter innotescit Deus, cùm priùs se homo nouerit in necessitate positum, & clamabit ad Dominum. Atque hoc modo erit gradus ad notitiam Dei, cognitio tui, & ex imagine sua quæ in te renouabitur, ipse videbitur. Noueris ergo te, vt Deum timeas, noueris ipsum, vt æquè illum diligas. In altero initiaris ad sapientiam, in altero & consummaris; quia initium sapientiæ, timor Domini, & plenitudo legis dilectio.

Sed iam ordine postremo ac suo sequitur notitia literarum, de qua subinfert. Cætera indifferentia sunt, inquit, nec salutem si sciantur, nec damnationem si nesciantur haben-

tia. non tamen dico contemnendam ſcientiam literarum; ſed duo illa oportet & expedit vt præcedant, in quibus ſumma ſalutis conſtituta eſt. Vide ſi non intuebatur, & ſi non docebat hunc ordinem, qui dicebat, Seminate vobis ad iuſtitiam, metite ſpem vitæ, & tunc demum illuminate vobis lumen ſcientiæ. Hæc ille. quæ ipſiſſimis referre verbis ſuis placuit, ad maiorem cùm doctrinæ auctoritatem, tum dicentis ſeu verborum ſuauitatem.

f Denique ex fine differentia manifeſta. Iſti ſcire volunt, vt vel ſciant tantùm, quod inanis curioſitatis eſt; aut vt ſciantur ipſi, quod manifeſtæ vanitatis; aut vt ſcientiam ſuam vendant, quod turpis quæſtus. Hi con-

tra vt ædificentur ac ædificent, quod prudentiæ & charitatis. bonus profectò sensus & intellectus ille omnibus facientibus eum.

5. Venio ad quintum paruipendendæ scientiæ motiuum, nempe facilem, promptámque illius ex casu vel ex accidenti iacturam. nullus enim negauerit, rerum quibus fruimur constantiam, earumdem vsuræ possessionisque non minimam esse partem. neque enim possidetur, quod ociùs fugit, aut inuitò possessore mox effluit: atqui, licèt bonis fortunæ constantia seu consistentia præstent artes; non vna tamen vel illis est ad effugium porta, quot casus; quot morbi, quot perturbationes, tot penè ad obliuionem patentes sunt aditus;

Messalam Coruinum quis nesciat alioquin eximium quondam oratorem, ex diuturno morbo & prauo habitu interni sensus, memoriâ penitus lapsum, vt sui nominis ne meminisset quidem? Tacitus prætetire nequeo immemoris cuiusdam historiam memorabilem, & proposito huic meo multùm accommodatam, Simonis scilicet Thuraij Angli, quem Trithemius *de Thurnaco* vocat. Hic cùm esset subtilissimus dialecticus, & liberalium artium Professor Parisiis nominatissimus, plenior scientia quæ inflat, quàm charitate quæ ædificat, iactarétque se, quam totam sciret Christi legem, argutiis euertere, & labefactare suis posse. quid ad retundendam hominis istius iactãtiam, ac au-

daciam accidere permisit superborum aspernator Deus? ecce nimium præsumentis, repentina mentem subit obliuio literarum, vel primarum penitus obliuiscitur, orationis Dominicæ insuper immemor efficitur, & ad alphabetum denuò perdiscendum proprij filij magisterium, operásque mendicare cogitur. Sed quid aliena perquiro, cui etiam domestica suppetunt exempla? Noui ego ex condiscipulis meis vnum mediocriter anteà literatum, è cuius memoria superueniens morbus, specierum quidquid inesset sic erasit, vt ad prima literarum elementa seu rudimenta sit relapsus.

6. Sed ponamus comparatas iam etiam artes nobiscum per vitam mansuras, nec vllo

vnquam infœlici casu labefactandas: illarum tamen diuturna breui viuentibus possessio non esset, ars enim longa acquisitu est, & in ea comparanda, bona vitæ portio, imò etiam interdum tota impendenda est, quò spectat illa sapientis cuiusdam querimonia.

Heu tunc morior, vt scire incipio.

Quis igitur tanti emat, cuius tam breuis & subita vsura notitiæ est? Sed intereà verendum mihi, nedum in extenuandis scientiis nostris, pluribus incautiùs moror, tantumdem à proposito aberrem meo, longéque fiam; quantum desipiat nutrix dulcia vocans ad vbera, dum obtendit amaritudinem. nimium fortè torsi; qui vt ad mediocritatem reducerem, in extremum & oppositum etiam flexi.

Fateamur. Addamus itaque plurimas humanas habere scientias, ex quibus illarum æstimatio sit minor; illis tamen minimè deesse certum est, vnde plurimi habeantur. illæ siquidem nimios affectus motúsque componunt, voluntati ad bonum facem præferunt, otia ab ignauia vindicant, solitudinis tædium fallunt, impuris cogitationibus occurrunt (non enim licet lasciuire districtis) librorum signacula resoluunt, doctis colloquuntur, ab imperita prophanáque plebe secernunt, secretorum conscium reddunt, rationem excolunt, ipsúmque hominem ad intelligentiarum propemodum sortem prouehunt, præterita reuocant, futura prospiciunt, præsentibus adsunt, & quod summum om-

Scientiæ fructus. 15.

nium, & ad rem maximè meam est, obeundis dignè religionis muniis & exoluendis officij cuiusque merito rependis, reddit idoneum. Dignissimæ prorsus, pro quibus obtinendis plurimùm desudetur. Sed iam addiscendi modum inuestigemus, ne pendulos candidatos nostros ac veluti sitibundos Tantalos, ad aquas, pomáque fugientia hiantes auidósque relinquamus.

Principio igitur duo mihi hac in re præ oculis habenda, & cuique candidato identidem recolenda sunt. alterum quidem, temporis concitatior fuga, seu vitæ præsentis breuitas, fugit irreuocabile tempus. Hinc monet Seneca quemque nostrum, vindica te tibi, tuus sis, & non alterius, & tempus

quod aut auferebatur, aut surripiebatur, aut exciderat collige & serua. non multùm accipit temporis homo, & si illud totum sibi vendicet, cui licet nihil facilitate eripi, nihil negligentia patiatur excidere, tamen ad immortalium cognitionem nimis mortalis est.

Alterum, eorum quæ sciri congruit varietas & multitudo. Prius, sedulò agendum admonet, nullum præterfluere tempus otiosè patitur; quin nec lectionis quidquam vel acceptæ vndequaque doctrinæ, quod ad rem nostram pertinere noscatur, præterire vel perire sinit, sed in scriniis nostris citiùs recondi reponíque præcipit. Quanta enim quotidie præterfluunt & excidunt nobis, quorum si viri frugi ac pro-

uidi

auidi fuissemus, multiplicium copiâ rerum nos diuites exiguo factos tempore miraremur. Salutare igitur consilium fuerit, vt maturiùs de vitæ statu consultes ac deliberes; quò ab ipsis studiorum tuorum initiis, quæcunque instituti futuri explendis pensis ac officiis conducere possint, prouidus seponas, vt cùm agendum fuerit, quo agas, ad manum habeas: ne ipsum iam agendi modum seriùs quæras, aut de præsenti deliberes,

Singula enim non disponit nisi cui vita suæ summa proposita est. Senec. epi. 71.

Nisi properamus, inquit Seneca, relinquimur, agit nos, agitúrque velox dies, inscij rapimur, omnia in futurum disponimus, & inter præcipitia lenti sumus.

Posterius, à superfluis ac vanis reuocat. Compendio studere suadet, & maturato labore plura exequi. Nam etsi non omnibus omnia competant, nec paris in vnoquoque nostrûm doctrinæ sit necessitas, (cùm in domo Dei mansiones multæ sint, ac singulorum nostrûm penè gradus diuersi, variáque ac distincta ministeria, quibus implendis impar doctrinæ portio participatióque sufficiat) attamen si cōiunctim illa omnia spectemus, quibus exoluēdis totum religionis corpus addictum est: cōstabit prorsus, summam quandam in quibusdam saltem membris desiderari doctrinæ copiam pariter & artium varietatem, Grammaticæ, inquam, Rhetoricæ, Philosophiæ, multiplicis Theologiæ, sacrorum insuper Ca-

nonum peritum confessarium, quin historiæ saltē Ecclesiasticę gnarum esse concionatorem oportere; imò totius Scripturæ sacræ consultum, aut illius plurium plus minus partium. Tantis igitur tótque comparandis disciplinis sufficiet, qui modum non tenuerit? tam longa metiri poterit breui spatia, qui compendiosam carpere viam fastidierit? nequaquam certè. Stata nobis igitur duo sint præmemorata principia. Iam ad vlteriora pergamus, & quibus compendij huius ratio constet videamus.

Duobus ego potissimum illam contineri puto. Ingenij scilicet fœlicitate, & eiusdem sedula cultura: hæc, duobus perficitur, scilicet doctoris officio, & librorum vsu.

NB. circa Libros multiz. deben. rursus, libri pauci, & in vnaquaque facultate selecti ac probati. Sed hæc strictim dicta, fusiùs explicemus.

Ingenium primum ac præcipuum sciendi organum, imò scientiæ interdum etiam parens (in quibusdam scilicet solertia pollentibus) nec summum necessariò requiro: (triplicis enim sortis, & quidem fœlicis agnoscit ingenia ex Epicuro Seneca Epist. 52.) nec Geometriâ iam excultum vt exigebat Plato, in eo qui in academiam suam admittendus esset: non etiam penitùs hebes aut obtusum cupio, vel ad scientias minus comparatum: nam vt benè monet Horatius,

De arte poët. *Tu nihil inuitâ dices faciésve Mineruâ.*

Tenacem etiam propositi ma-

ximè volo studentem omnem, nec cœptis aliquando desistentem. Medium itaque vel mediocre sufficit ingenium, de cuius vtique natura agere, non tam mihi propositum est, quàm de liberis studentium conditionibus ac voluntariis.

Prima sit, animum pacatum habeat, quietum inquam & expeditum curis, variisque in diuersa distrahentibus ac perturbantibus affectibus, 1a. Studiosorum conditio. Animus pacatus curis expeditus.

18. *Carmina proueniunt animo deducta sereno.*

Nec nisi in vnda placida rerum obiectarum species repræsentari possunt. Huius rei gratia Crates ipse Philosophus, cuius meminit Hieronymus, pergens Athenas ad capessendam Philosophiam, in archipelagum, quos plurimos habebat

nummos misisse perhibetur. Idem de Platone memoriæ proditum est, qui amplissimum patrimonium, germanis suis distribuit, solo sibi retento suburbano prædio, quod academiam appellauit. Quòd si mihi studiosissimum virum Senecam obtrudas locupletissimum vtique possessorem ac diuitem: dicam possedisse quidem diuitias, non ab illis fuisse possessum. Audi si lubet quàm solutus ille ab his temporalium tricis ac inuolucris (si modò dictis suis fidem non deneges) Olim iam, inquit, nec perit quidquam mihi, nec acquiritur (de nauigiis mercibus onustis sibi prouenientibus agebatur) quasi perinde sibi esset, perirent illa naufragio, vel ad portum prospero peruenirent.

appulsu, rationem subinfert; quia quantulumcumque habeam, inquit, tamen plus iam mihi superest viatici quàm vitæ ac viæ. Cæterùm quod de diuitiarum curis dico, gratia exempli est. Tu verò quem nunc compello, quique ex emissi voti paupertatis merito, illarum excussisti iugum, & in libertatem te vindicasti, ad alias quarumcumque rerum humanarum curas, affectus, cupiditates; studia, perturbationes transferito, quibus distrahi & occupari potest animus.

Alia sit hominis literarum cupidi dispositio, nempe contendat precibus, vt natiuo ac naturali suo, cœleste lumen accedat, si ad summum cupiat assurgere: sic oculo corporeo

vel purgatiſſimo, ad videndum externus ſolis radius affulgeat neceſſe eſt: cuiuſquidem luminis defectu, ſummi vel Philoſophi ad notiſſima quædam naturæ caligaſſe perhibentur. Verùm de hoc promerendo lumine pluribus infrà, cùm ad vſum librorum ventum fuerit, quò me accingo.

Cæterùm quemadmodum fertilis alioquin gleba, culturæ defectu areſcit, & infrugifera reddi ſolet; ſic ſunt ingenia vel fœliciora, niſi expoliantur & artibus excolantur. Ad id autem omninò duo conferunt, doctoris opera, & librorum vſus: docentis inquam, officium ac munus neceſſarium in Philoſophicis præſertim, in quibus vel Auguſtinus ſoler-

tissimi & perspicacissimi alioquin vir ingenij, illud admittere coactus est, cui solâ duce propriâ Mineruâ, peruiæ extiterant aliæ disciplinæ. Qualem verò deceat esse doctorem, & quam docendi rationem tenere debeat, nunc prosequi alienum. Præsertim verò cùm alibi dixisse me benè memini, cum ea pareitate & cautela, qua decet cum doctoribus & de doctoribus agere. Imò discipulos hîc potiùs compello, ac monitos esse volo, suæ erga magistros & scholam ipsam obseruantiæ, vt scilicet illos venerentur, officiis colant, diligant, auidè audiant, doctrinam suam plurimi faciant, hinc enim aut progressus discipulorum magna ex parte pendet aut regressus; scientia,

inquam, aut inſcitia: nam promptus eſt & proximus ex contemptu Doctoris, ad eius quoque detrectandam doctrinam gradus, propter vtriuſque cognationem & inter ſe neceſſitudinem, quis enim ſtudiosè captet, quod reſpuit? Quin & ipſi Scholæ (vtique muſarum domicilio, imò & ſapientiæ ſacrario) reuerentia exhibēda eſt, non modò ne in ſcœnicā aulam tranſeat, aut ludicram aream; ſed etiam ne otij vel oſcitantium diuerſorium fiat, quos idcircò grauiter ſugillat, Seneca, Scholæ inquilinos tales appellans. Quippe qui in Scholæ, tanquam in alieno habitent, ac ſibi indebita domo. Vtriuſque verò, tum magiſtri tum ipſius Scholæ deſpicentia vel neglectus, quàm ſit ipſis

Epiſt. 108.

candidatis noxius, manifestius est quàm vt probari ampliùs oporteat: nemo enim in auersum animum quidquam inducit. obuersum vas oportet esse in quod infundas: & quod ad Scholam attinet, neminem pudet inanem ex ea redire, cuius apud se nulla fuit priùs auctoritas. Properemus ad alia.

Libri iam suo sese ordine in manus ingerunt. O pretiosum depositũ! O sacram supellectilem non nisi lotis manibus contrectandam. Sed etsi nonnunquam gestanda esset, foret honori, non oneri. sed quid tandem illi proderunt ei qui nesciat vti? Vtique par illorum vtilitas, atque Dauidi quondam fuit auratæ Saulis armaturæ, aut pusillo cuique gladij Goliath. Quis igitur illorum

LIBRORUM VSUS et quomodo legendum.

vsus, & quomodo legendum ac studendum videamus.

Principio igitur moneo, vt in qualibet ex prælaudatis aut aliis quibuscumque facultatibus, ac disciplinis quibus pro ratione status aut conditionis instructus quisque debet esse, delectus librorum habeatur, ne si per omnes vagari, aut obuios quosque temerè sectari libeat perinde accidat, atque venaticis canibus, plures sectando lepores, nullum capientibus. Sed illis potissimùm iisque paucissimis insistatur, quos in vnaquaque disciplina præcipuos & insignes esse methodo, perspicuitate, doctrinâ, peritiorum sententiâ constiterit, nec refert quàm multos habeas, sed quàm bonos. Lectio certa prodest, sed

varia delectat; Qui quò desti- 78.
nauit peruenire vult, inquit
Seneca, vnam sequatur viam, Epist.
non per multas vagetur, non 58.
ire istud, errare est. Cuius ne- K.
glectu documenti, quàm mul-
tos quotidiana deprehẽdamus
experientia, qui diurna no-
cturnáque lectione fatigentur,
& librorum strues, altásque
congeries euoluant, ex quibus
tamen vnum faciant capiánt-
que fructum, capitis vertigi-
nem, ophthalmiam, aut me-
ram inscitiam. Qui si vel vnum
primarium quidem, vel pro-
batum perlegissent: ex quo
tanquam ex fonte plurium ri-
uuli voluminum aliorum pro-
fluxisse noscuntur; breui faci-
líque negotio, ad accuratam
notitiam peruenissent. Huc
spectat D. Thomæ Aquinatis

responsio quærenti, qua tandem ratione doctus euaderet, vnius, aientis, lectione libri. Quin & librorum multitudinem, ingeniorum esse carnificinam quis nesciat? quibus proinde non abs re possit accommodari istud Imperatoris Adriani de medicis suis grauiter conquerentis, Turba medicorum occidit Regem. Et Callimachus ipse Grammaticus dicere solebat, τὸ μέγα βιβλίον τῷ μεγάλῳ ἐοικέναι, *Magnum librum magni mali instar esse.* Quid de pluribus dixisset, cùm sic vnicum insectetur? nam licèt mentem non semper obruant, vel in amentiam ducant, certè obtundunt, offundunt, dilassántque non modicùm, vnde Remoras aptiùs eos quàm ad scientias promo-

tores ingeniorum meritò dixerim. Oportunus hic quidem instituendæ bibliothecæ locus, nisi angustior aliquanto ad illius capiendam amplitudinem, cuius ordinandæ si quis me doctior vellet prouinciam suscipere, tantum abest vt de prærepta mihi huius opusculi gloria, aut officij publici merito subducto quidquam quererer: quin & ingenuè fatear magno me deuictum iri beneficio. Sin minùs aliàs ipse dante Deo præstabo. Verùm, ne cuius conatus meus, futuræ patere possit inuidiæ, vel calumniæ, dum plus fortassè speratur ex me, quàm exhibiturus sim: fidem meam his limitibus definio. Primò ordine proferentur libri potiores, selectiores ac paratiores ad singulas artes, aut

ſcientias capeſſendas, maximè verò, viris Eccleſiaſticis opportunas & neceſſarias.

Secundo proſtabit catalogus librorum operum aut tractatuum, quibus ſancti Patres cùm Græci tum Latini excelluiſſe comperiuntur; vt quibus per otium integros legere non vacat, horum ſaltem ex parte, vel optimâ fiant conſcij & gnari.

Tum denique quandoquidem Scripturæ ſacræ neceſſarius imprimis eſt intellectus, & vſus Eccleſiaſtæ continuus, ac expeditus (cuius vtique ampliſſimus librorum atque partium extat numerus, innumerus verò longéque amplior ſcholiorum grex aut exercitus) proſpicietur idcircò cuiuſque commodo, monſtrando ex

commentatoribus in singulas partes, quemque optimum vnum aut alterum. Et hæc ex occasione dicta, & in pignus fidei data. Iam ad propositum reuertamur, singularis nimirum ac statæ lectionis faciendæ consilium, ex qua nouum hunc etiam nec contemnendum excerpere licebit fructum, expeditiorem scilicet intelligibilioremque lectionem, (explico) ad auctoris quamque recentem, inusitati lectionem, ferè nemo est quantumcumque versatus, qui non hæsitet. Nam cuique scriptori suus stilus est, propria cuiusque phrasis dicendique ratio, singularia nonnunquam & affectata sunt verba, quæ sibi quisque priusquam familiaria & domestica fecerit, iisdémque tantisper assueuerit,

nonnihil laboret oportet, nec interim expedito adeò festinat gradu: vnde fit consequens vt qui raptim varia apud varios legerit, pauca intelligat, & qui per omnia cucurrerit, vbique penè hæreat atque subsistat. Ab hac autem se molestia liberat, damnóque redimit, qui insistit vni.

Sic autem librorum paucitatem consulo, vt iisdem insistere quos elegeris iubeam. Nec passim legere, seu interlegendum, oculorum quasi saltus quosdam edere, sequentium enim plerumque, ex prioribus intelligentia pendet. Porrò ægri animi est ista iactatio, fastidientis est stomachi varia degustatio, peregrinorum sunt hospitia plura, nulla domus; denique

Nuſquam eſt qui vbique eſt.

His tamen nihil obfuerit, quin propoſita tibi ſint aliquot, ſed pauca ſimul ſtudiorum ſeu lectionis variæ genera, quibus alternas identidem nauare poſſis operas. Quippe quorum ea futura ſit vtilitas, vt tanquam vnius continui non tædeat modò; verùm etiam ad alterum æquè ſerium ac vtile velut ad laxamentum tranſlatus, perinde proficias, ſine otij torpore, cum nouitatis oblectamento, & alterius quæſtu doctrinæ. Inutilibus autem ſtudiis aut lectionibus, nuſquam indulgendum eſt: quod ſi quandoque tamen iſta lubet agere; tunc certè, cùm voles nihil agere. Hoc autem habent in ſe peſſimum, dulcedinem quandam ſui faciunt, & ani-

mum ſpecie ſubtilitatis induſtum retinent ac remorantur, cùm tanta rerum moles va- Epiſt. 111. cet, cui vix tota vita ſufficiat.

10. Id etiam curandum, vt paratum ſemper, propoſitúmque tibi ſit, cui incumbas lectionis aut ſcriptionis aliquod penſum, ne muſæum ingreſſus, tum incipias deliberare, cui rei intendas, cùm agendum eſt.

Moneo ſecundò, vt ſæpè moroſa ſit lectio, interciſa & identidem ſubſiſtens, vt illud quodcumque hauſeris ex libro, digeras diſcutiendo. Hac quippe ratione, & altiùs inſidebit memoriæ, & luculentiùs obuerſabitur intellectui. Quemadmodũ enim qui auidiùs ſorbent, & ſemel plura condunt in ſtomachum, non tam alun-

tur quàm grauentur, præfocato nimirùm natiuo calore, à quo nutritionis actio futura erat: sic cursim & plura legentis & non recolentis, rerum indigesta multitudine memoria prægrauatur, & intellectus offunditur. In quam rem rectè Seneca: Nec passim, inquit, carpenda sunt, nec auidiùs inuadenda vniuersa: per partes peruenitur ad totum, aptari onus debet viribus, nec plus occupari quàm cui sufficere possumus, non quantum vis, sed quantum capis haurias. & alibi:

Vnum excerpe, quod illa die concoquas.

Ad hæc, non semel tantùm aut iterùm expertus ipse, perinde illi accidere qui inter legendum in rem difficilem incurrit, at-

que illi, qui locum obſcurum vt putà vinariam cellam repentè ſubit ex aprico. Huic enim ipſo occurſu & obiectu primo, omnia oculis confuſa, imò etiam denſiſſimis offuſa tenebris, hócque vnum videt, quod nihil videt: at ſi tantiſper inſiſtat defixúſque hæreat, tum innoteſcere atque clarere paulatim incipiant omnia, & illi tantillo lumini quod intus eſt aſſueſcentes oculi, quæ in ſpecu ſunt, iam ſingula luſtrat; hîc cadorum vini quot videt ordinem, iſtic carbonum congeriem, hinc ſalitarum penus carnium, iſtinc ſtratas humi deſpicit virgarum faſces, & id genus alia. Sic omninò ſe habet intellectus ad intelligibilia, quòd oculus ad iſta viſibilia quæ profectò non cerneret, niſi

contuendis illis morosiùs instituisset.

Tertiò, id age, vt quæ didiceris, memoriæ mandes ac teneas, nō est enim scire, quod tibi dicere aut referre promptum non est, licèt legisse te quandoque dixeris, aut in quo habeatur libro memineris. Hinc tritum illud, *Si charta cadat, secum sapientia vadat.* Vide, inquiebat Pythagoras, ne armarium doctius habeas quàm pectus. Hinc facetè (nec immeritò quidem) apud Senecam sugillatur obliuiosus quidam senex nomine Caluisius Sabinus, qui cùm eruditus haberi, nec ab ea existimatione doctrinæ quam iunior præsumpserat, excidere vellet, hanc artem excogitauit; nempè, vt magnâ summâ seruos emeret, vnum

Tales scimus quales meminimus

qui Homerum teneret, alterum qui Hesiodum, Pindarum, & ità de ceteris: at postquam hæc familia illi comparata est: cœpit conuiuas suos ad docta colloquia deducere, habebat autem ad pedes seruos, à quibus subinde versus requireret, quos oportunè referret; sed sæpè in medio versu hærebat (vnde præter hos, analectis etiam aliis, id est, sublegulis indiguisset) is tamen in ea opinione erat, vt putaret se scire, quod suorum quispiam sciret: at irrisor Satellius quidam, illum hortari cœpit, vt luctaretur hominem ægrum, pallidum, gracilem. Cui cùm Sabinus respondisset, Et quomodo id possum, vix viuo? Noli obsecro hoc dicere, subiunxit Satellius, non vides quàm multos

Analectæ. ἀναλέκτης [illegible] Rhodig. lib. 15. c. 31. [illegible]

Legulus. συλλογεύς [illegible]

multos seruos habeas valentissimos? ironica prorsus responsio. Cui sapienter subdit Seneca. Bona mens nec commodatur, nec emitur, & puto si venalis esset, non haberet emptorem. Demetrius ipse Cynicus dicere solebat, plus prodesse si pauca sapientiæ præcepta teneas, & illa in promptu tibi & in vsu sint: quàm si multa quidem, quæ non habeas ad manum. Quod appositissimo illustrat exemplo idem Seneca, Magnus luctator, inquit, est, non qui omnes numeros nexúsque perdidicit, (dixisset Tertullianus omnem artis istius gesticulationem) quorum vsus sub aduersario rarus est, sed qui in vno se aut altero benè diligentérque exercuerit, & eorum occasiones intentus

Epist. 23. *hæc non inueni.*

expectat, nec refert quàm multa sciat, si scit quantum victoriæ satis est. Hæc ille.

Neque verò tibi sufficiat memoriæ loculis abdidisse, quod ex lectione excerpseris, quódque tanquam ex penu quodam depromere possis ad placitum, aut ad nutum euocare. Sed id insuper age quantum in te fuerit, vt illud quodcumque est, quod aliunde sic accesserit tibi, tuum fiat ac proprium: nec tam memoriæ commendasse, quàm in proprium ingenium transmutasse videare, id est, sic mente recolas, tandiu mediteris, sic apud te digeras & excoquas, vt mentem ac stilum auctoris videaris imbibisse. Quatenus memoriâ tuâ vel deficiente penitùs aut oblitâ; tamen illud

idem quod didiſceras iam ex te poſſis & ſentire & loqui. Alimenta quæ accepimus, ait Seneca, quandiu in ſua qualitate perdurant & ſolida, innatant ſtomacho, onera ſunt: at cùm ex eo quod erant, mutata ſunt, tum demùm in vires, & in ſanguinem tranſeunt: idem in iis quibus aluntur ingenia. Præſtemus vt quodcumque hauſimus, non patiamur integra eſſe, ne aliena ſint; concoquamus illa, alioquin in memoriam ibunt, non in ingenium.

Epiſt. 84.

Porrò hæc ipſa quæ alioquin factu non vſque adeò facilia videntur, confido nobis expedita fore, ſi naturali induſtriæ noſtræ, ſtudioſiſque ac indefeſſis conatibus, inuocata cæleſtis aſpiret aura, affulgeat cæ-

lestis aurora. Nimis autem multa sunt, quæ nos hortantur & admonent superni istius captandi luminis ac opis diuinæ implorandæ, initio lectionis aut studij. exempla, imprimis sapientum vel infidelium, hinc tritum istud,

Ab Ioue principium musæ.

Epist. 8 Et ipsius Platonis hoc religiosum dogma est,

Omnibus in rebus & dicendis & cogitandis principium semper à diis est sumendum.

Quod siue ex instinctu naturali in illis profectum putemus, seu ex liberæ rationis malimus dictamine deriuatum: vtrobique tamen non temerè sed meritissimo iure factum manifestè concluditur. His accedit ratio ipsa, quæ ampliùs vrget in viris Christianis, quibus igno-

tum illud non eſt, [Omne donum perfectum, & omne datum optimum deſurſum eſt, deſcendens à patre luminum.] Quid verò perfectius meliúſve ſapientia? Chriſtianis inquam viris: quos compellat Iacobus Apoſtolus his verbis, [Si quis indiget ſapientia, poſtulet à Deo.] is quippe, Deus ſcientiarum eſt, & illi præparari cogitationes, mentes vtique cogitationum opifices ad ſtudia diſponuntur per inuocationem numinis ſui. Qua in re non ſapientum æmulatores modò, ſed etiam communis naturæ ſenſus & inſtinctus æqui fuerimus ęſtimatores. In viuentibus quidem vel omnium infimis quæ velut ad erudiendum hominem informatrices inſtituit Deus, oſtreas dico atque con-

chylia, imò & violas ipsas omnéque genus florum, quos ad primos orientis solis radios explicari cernimus. Hinc emblema,

Solis ad aspectum veluti rosa verna virescit,
Sic ego florebo respiciente Deo.

Quasi intelligant inanimantia illa, quidquid in se vegetum, quidquid viuidum, quidquid elegans ac venustum, totum inquam illud, ab hoc affulgente sibi Sole defluere: quod ampliùs etiam produnt, dum quandiu hemisphærio Sol imminet, tandiu sese obuertunt illi heliotropia propterea meritò nuncupanda. Cæterùm huiusce conuersionis ad Solem nostrum, præcipua quædam in nobis præ rebus cæteris, imò & hominibus aliis, inest ratio.

quatenus scilicet nos deceat (Christo vtique exauctoratos atque deuotos) ab eodem auspicari studia nostra, in quem illa debitis obsequiis aliquando resoluenda sunt, nempe prædicando, peccatores reconciliando, sacrificia offerendo, psallendo, &c. vt inde exiisse intelligatur nostra vis ac virtus omnis, quò illam referimus ac refundimus. Quæ quidem obsequia nostra, cùm eminentissimæ cuiusdam conditionis sint, ac illis pro dignitate defungi, non humanæ solius sit facultatis aut industriæ: profectò non omni fidendum est lumini, ne quidem Diogenis admittenda sola lucerna est; sed ad illa certiùs inspicienda atque lustranda, cælestis iubaris aduocandus radius & ad-

mouendus est.

Dices, ad comparandas humanas scientias, naturalis ingenii fœlicitas hominis vel nequam sufficit? Sed sit ità vt placet, penitus non abnuo, quanquam de omnibus, pluribúsve perfectè inficiari possim ac debeam. Sed interrogo, sit proposita tabella, & ambobus oculorum luminibus æqualiter obiecta, nónne vterque cùm dexter oculus tum sinistèr eam videt? videt procul dubio, verùm non æquè, minùs enim perfectè lustrat sinister, quia lęuus quia & sinister est; sic sunt scientiarum obiecta, veritates inquam ipsæ, nequam erudito ac probo, sapienti & insipienti propositæ. Quin & tu eodem vel oculo vicissim hinc & inde conuersus ac positus, eamdem

tabellam contemplare: Nónne dextra iam tibi, subindéque sinistra? nónne hinc obuersa radio, & ad aspectum tibi composita; inde auerso & opposito Sole constituta est? Sic sanè, sic sinistra sunt omnia, sic infaustæ literæ, cui cælestis luminis radius non affulserit. Memini me pridem in principe domo exceptum hospitio, in cuius area media, pyramis marmorea exurgeret, in cuius summo cuspide, hæreret auratus globus. quem intuens ipse, intempestæ noctis tempore ad lucentem lunam (nam serus aduenceram) argenteum prorsus esse credebam, sed primo manè sol exortus, me fraudis admonuit, & auratum, vt erat, exhibuit globum. Audi iam quò rem deducam. vtique, vt

hinc intelligas, aurea esse, potiora esse, & optima quæque futura tibi, quæ irradiante Christi lumine prospexeris; improba verò, infausta, vana, & laboriosa cognitio omnis illa, quam pallidum naturale solum lumen & inanis humana solertia pepererit. Huc spe-
Eccl. 1. 18. ctant sacra dicteria, Qui addit scientiam, addit & laborem. Rursus, Scientia inflat, spiritus ædificat. iterùm, Semper discentes, & nunquam ad scien-
1. Cor. tiam peruenientes. Etsi habuero omnem scientiam, &c. charitatem non habuero, factus sum sicut æs sonans, &
Ad Roman. cymbalum tinniens. &, Qui cùm Deum cognouissent, non sicut Deum glorificauerunt, sed euanuerunt in cogitationibus suis.

Vis denique consuetudinis tuæ & Christiani ritus te commonefaciam? quandonam accumbentem te iam primùm mensæ benedicendi cibi ac potus obliuio cœpit? vix vnquam aut rarò crediderim; atqui ad lectionem aut studium cùm accedis, ad spiritualem panem, ad animæ cibum, ad pabulum vitæ capiendum venisti. Benedic igitur & tu similiter illud quodcumque lectionis aut scriptionis quo pascendus ac recreandus est animus tuus, & vt cœptis aspiret, Optimum Maximum inuoca. optares forsan in his, non tantùm audire doctorem, sed etiam ducem sequi. Sed nec in hoc quidem tibi deesse quidquam volo. Indicabo tibi quem æmuleris. Obuius est mihi Bartholomæus

Pauia Valentinus Ordinis Dominicanorum, cuius hæc erat studiorum ratio, cùm Theologiam publicè profiteretur, referente Vincentio Iustiniano cognomine Antistio, in ea quam edidit D. Ludouici Beltranij vita. Si examinanda, inquit, esset quæstio, verbi gratia, de tempore, æuo & æternitate, ad hanc se priùs ita comparabat, vt conuersus ad Deum diceret, Amor mi Domine Iesu Christe, seruus tuus Diuus Thomas hoc articulo quærit, num differant tempus, æuum & æternitas; concludit autem sic, &c. Obsecro igitur Domine Iesu, vt me à tempore liberes, perducas autem ad æternitatem, quæ tu ipse es. amen. Obiiciebat deinde his verbis in conclusione serui tui Tho-

mæ, cui tantam dedisti lucem, exoritur mihi dubitatio; cui nescio quid respondeam; quare peto à te per merita benedictissimæ matris tuæ, vt aliquid mihi Spiritus tui impertias, quo id assequi valeã, quod te miserante spero aliquando conspicere. Responsionem posteà ex Caietano suæ dubitationis sibi proponebat, quâ expensâ, dicebat, Domine, esto tu benedictus, qui hoc ingenij acumen illi præbuisti, equidem credò eum apud te esse in paradiso: at si fortè adhuc est in purgatorio, quæso libera eum, in laborum suorum præmium; vt fruatur æternitate tuá, de qua adeò doctè scripsit.

Deinde quod ipse expenderat, in hunc modum pronunciabat. Responderem ipse ità

vel tali ratione seu distinctione; tum verò subiungebat, Et quid est hoc quod ego inutilis tua creatura cogito? præ illo quod seruos tuos Ecclesiæ Doctores edocuisti? Ignosce arrogantiæ meæ gloria Angelorum; propter ipsorum Angelorum amorem, qui ex sua natura æuo commensurantur; ex tuáq; gratia æternitate perfruuntur; quâ item ipse ex eadem tua gratia, licèt sim peccator, perfruar, amen. Hoc verò (inquit idem Vincentius) hoc loco adieci, vt studiosi intelligant, seruos Dei solere, deuotionis pinguedinem, è doctrinis valdè speculatiuis elicere. Quamuis, inquit, scio non defuturos, qui dicant quod scripsit Erasmus de sancti Augustini libris Confessionum, [A

quo (vtique otioſo) & in gratiam talium eas fuiſſe ſcriptas.] Verumtamen Deo potiſſimum ſapit quod indeuotis deſipit.

Intendo digitum & in alium fontem D. Thomam Aquinatem, cuius hæc aſſertio fuit, 18.
quidquid ſciret, non tam ſtudio aut labore peperiſſe, quàm diuinitùs traditum accepiſſe.
Extant & illius adhuc præparatoriæ ad ſtudium orationes, quas ſi fortè pigeat ipſiſſimas recitare, tuarum tamen non iniquum eſt eas eſſe exemplares. 10.

Neque verò id tantum actionis initio fieri ſuadeo, ſed etiam moneo vt inter legendum, vbi occurrerit quod ſapit, non curſim prætereas, ſed tantiſper hæreas cogitatione, mentem attollas in contemplationem,

ac suauiter degustes. Nam quod sapit, nutrit: quid enim? hanc negaueris tibi, quam animantibus vel brutis seruandam probas æquitatem? nunquid non apicula mel gustat quod recondit? num trituranti boui claudendum os esse duxeris? aut vinum non bibet, vineam qui plantauit? Equidem iustitiæ lex ista est, eius vt annonæ tibi copiam præstes quam in alios diuidas. Hunc & sibi pia vel nutrix, dilectionis seruat ordinem, vt non nisi præmansum in os ingerat alumni cibum. Equidem, Melanthii votum hîc probo ac requiro, cui vt vinum dulcius saperet, prelongum gruis aut oloris optabat collum. Temperantiæ genus est, hac in re liguritorem esse.

Cæterùm in hoc prædicto pietatis genere & inuocandi diuini numinis laudabili consuetudine, sollicitiùs tibi curãdum est, nequando lectioni posthabeas deuotionem, studium inquam postponas orationis, aut diuinorum officiorum temporis addicti, subducere quidquam aut suffurari audeas, quod ad literarum operam transferatur. Vana siquidem spes esset à Deo expectare, quo contra eum pugnes, nemo vsquam visus est, qui ad oppugnandum se, hostibus subsidia præstiterit. tantumdem tibi negabitur ex votis, quantum detraxeris ex debitis. Nam ad pietatem, religionis exercitatio, tempus dat, non accipit, non est deuotio subsiciua, ordinaria est, domina est. Alexander cuidam

Epist. 31. ciuitati partem agrorum & dimidium rerum omnium promittenti, Eo, inquit, proposito veni in Asiam, non vt acciperem quod dedissetis; sed vt id haberetis quod reliquissem. Itidem pietas dicit nobis omnibus, non sum id tempus acceptura, quod vobis superfuerit ex studiis aut lectionibus; sed id potiùs habebunt litterarum studia vestra, quod ipsa erogauero. Totam huc ergo conuerte mentem; quidni erogaret illa studiis nostris tempus, quidni otia faceret? quando propter illam, esse non nisi studia debent? quis laborem suscipiat, nisi spe præmij? quis moueatur, nisi vt aliquando quiescat? quis præferat lumen, nisi vt non offendat? quis bonum cupiat nosse, nisi vt amet,

vt consectetur, tandémque comprehendat? Quisquis scit vt solum sciat, rerum non seruat ordinem, distincta confundit, finis cum medio, medij cum fine, rationes. Indiscreta congestione commiscet, quæ enim est potentiarum inter se naturalis habitudo (vt loquuntur philosophi) eadem est ipsorum ad inuicem illarum actuū; & qui est intellectus ordo ad voluntatem; is est notitiæ & cognitionis ad affectum, scientiæ ad votum. Vnde meritò dixi, qui scit vt tantùm sciat, rerum non seruat ordinem. imò expediebat dedicisse nō discere, vnde aduersum nos conuictæ malitiæ cēsura procederet. Magno itaque temporum impendio, magna inquam, alienarum aurium molestia lauda-

tio hæc aliis constet,
O hominem eruditum.
Simus autem nos hoc titulo rusticiore contenti,
O virum bonum.
Quapropter si contingat quod opto, vt otij copia, temporis œconomia, sedulitate studij, necnon præsentium vsu dogmatum seu præceptorum, quibus ad capessendas scientias dirigeris, aliquando peruenias, & sis ad ea benè comparatus, quæ tui sint status & instituti munia: iam tunc subsiste, pedem hîc fige, sciendi cupidini frenum iniice. Sitque tibi semper in hoc ac similibus Lydius hic lapis. Quoties longè iam progresso semper aliquid longiùs restat: scitó id naturale non esse. Id est, non rationis rectæ, sed cupiditatis immo-

dicæ. Quemadmodum enim rerum omnium, ſic literarum intemperantia laboramus, legere tamen non veto, ſtudere non prohibeo, ſed non vt plus aliquid ſcias verùm vt melius, id eſt melior euadas.

Poſtremum denique ſit iſtud, cuius te etiam atque etiam monitum velim, nempe, vt de parta tandem doctrina non inſoleſcas, nec ſingularitatis, vt aſſolet, ſectator fias, id eſt, à publicis moribus ſeu ritibus non abhorreas, nec committas, vt quidquid non facis, damnâre videaris. ſcientia, vitia detrahit quidem, non aliis exprobrat: licet ſapere, ſed ſine pompa, ſine inuidia, ſine ambitione, ſemper memineris Miniminanum te eſſe, & de Minimorum ordine, apud quos ſub gra-

uiſſima cenſura cautum eſt, ne vlla doctrinæ præferantur inſignia, nulla doctoralis ambiatur laurea. Cherubinus quidem potioris prærogatiuâ ſcientiæ, ſuis (ſi lubet) conſortibus antiſtet; Minimitanus verò, antecellat humilitatis ambitione. Virtutis dos illa eſt, quæ apud illos illuſtres facit, deſcenſu aſcendunt illi, demiſſione ſcandunt: inuerſa, & ab aliis auerſa, ſua voluitur ſphæra, vtique ſuperbis antipodes ipſi. Denique tam diſſimiles ac votis pugnantes, vt auerſantium ſe ſe quorumdam, & in diuerſa propendentium ſtudiis competere poſſit verborum illa reciprocatio, ſeu pugna.

Inſequeris? fugio. fugis? inſequor.
Hæc mihi mens eſt.
Velle tuum. nolo, nolle volo.

Sed incautiùs fateor, excidi mihi, dum terminalem palum prętergredior, & vltra pręfinitas scriptionis metas, quasi inuitus erro, in hoc liceat tamen impune peccasse. Ignoscenda votorum mensura est immoderatior, obsequendi fuit affectus flagrantior & fœcundior, nec modum satis amor agnouit. Cęterùm recolite, Fratres, ad maiorem prædam, plura adhiberi solita aucupia, plura ad aprum, quàm ad venandum leporem innecti retia, plures venaticos laxari canes. Huius autem genij scientia non est, inquit Seneca, quæ vltro non quęrentibus se, occurrat. nulli sapere casu obtingit, pecunia interdum sponte venit, honor offertur, gratia & dignitas fortuitò ingeruntur tibi: at

virtus, ſcientia, ſapientia, in te non incidit, nec leui quidem opera aut paruo labore comparatur, plurium indiget dogmatum obſeruatione.

Hæc ſint igitur, chariſſimi Fratres, quæ in rem veſtram vt congererem, obuia eſſe potuerunt, plura certè pręſtantioráque ſi potuiſſem daturus: quæ ex ſe, licèt exigua, vel ſi ita placet, penitus detrectanda, ipſo tamen emptionis quodammodo meæ pretio nonnihil æſtimanda. Errandum enim aliquandiu fuit, vt verum rectúmque iter quandoque nanciſcerer, ne vobis pariter errare contingeret. Fauete igitur, & fœliciori veſtræ præ mea vel in hac re ſorti plaudite ac valete.

Cæterùm perperam impenſum

ſum liberalibus diſciplinis(quę ſolam excolunt intelligẽtiam) videretur eſſe ſtudium, ſi quod ad ſalutem ſpiritalémque profectum apprimè neceſſarium eſt, quódque quotidianis colendum officiis, altâ quodammodo defoſſum iaceret ignorantiâ, vtique Regulæ noſtræ laboraretur inſcitia.

Quapropter operæpretium facturum me exiſtimaui, ſi communibus præceptis ac generalibus ſtudendi diſcendíq; prioribus regulis, operâ noſtrâ ſpeciale quoddam aliud documentum accederet, de ea qua poſſit optima ratione & ſciri & ſeruari, Minimitana regula ab his quos ad illius ſollicitã cuſtodiam ſua addixêre data fides & vota. Hęc autem optima ratio, ex regulæ ſpiritus pen-

det intelligentia, cuius quidem & vocis & naturæ facilis, & aperta proximè sequetur explicatio.



DE SPECIALI ac propria Religionis nostræ Virtute, seu dote, quæ spiritus Regulæ vulgò nuncupatur.

OMNIS quæ à ratione suscipitur de aliqua re quæstio, debet à definitione proficisci, vt intelligatur quid sit id, de quo disputatur. Quod quidem Ciceronis axioma, nobis impræsentiarum opportunū valdè est, disputaturis de speciali & quasi specifica illa virtute,

propriáque Religionis nostræ dote, qui spiritus Ordinis vulgò nuncupatur; de quo perperam plura consarcinarentur, ni priùs ab ipso disputationis exordio constaret, quid illud sit, quod spiritus Regulæ dici queat, vt postmodum ad eum qui Ordini nostro competit designandum, & ab aliis Ordinum aliorum discriminandum spiritibus, planior & apertior procedentibus via pateat. Itaque liberum cuique cupiens ac probans, hac de re iudicium esse; quod & ipse sentio, ac sapio libens prodam.

Considerandum itaque, spiritum ex propria significatione, aliud esse nihil, quàm ventum in omnibus etiam linguis; & cùm ventus præpotens sit, ac incitatissimus, affinitate qua-

dam ac similitudine factum, vt spiritum (de quo hîc quæstio) motum, incitationẽ, ac impulsum interpretemur: motum, inquã, hoc loco affectuosum intelligo, seu cupidioris propẽsionísque voluntatis impetum; Religionis autem, seu Regularis Ordinis: eò quòd in Regularem Ordinis alicuius obseruantiam propendeat ac propulset. Rursus, indubitatum est, spiritum vel instinctum istum, ab aliqua virtute nobis inexistente oriundum esse, ad quam idcircò nihil etiam vetat, ipsam transferri spiritus appellationem ac nomen. Tandem quia non potest intelligi diuersitas spiritus diuersorum Ordinum seu Religionum (prout communiter dicimus, suum quamque Religionem sortiri

ſpiritum) niſi ratione correlatiuæ ſeu reſpectiuæ ad eam quæ in nobis eſt, perfectionis aut virtutis, illarum cuique propriæ, & in vnaquaque velut eminentioris ac præcipuæ, ſeu cultu potiori colẽdæ. Quis enim niſi auſterus vel auſteritatis amans, quis paupertatis ſtudioſus,&c. ſtrictam aut mendicantem, &c. capeſſat Religionem? conſequens eſt, vt ſpiritus nomen & ratio, pariter & illi Religionis doti meritò competat, & ex Ordine ad illam, atque per illam, Religionis ſpiritus natura indagari debeat, & inueſtigari. Ex his itaque latior iam definitionum deſcriptionúmve campus nobis apertus eſt, dum quid ſit Religionis ſpiritus, ex pluribus poſſumus exprimere ac defini-

re. Itaque Religionis cuiusque spiritum, eam esse virtutem dicamus, per quam singulari ac propria cuique ratione ac modo, Religio quælibet seu Ecclesiasticus Ordo Deum colit, sua illi exhibet officia, & ad illius quoad potest vnionem atque complexum, quodam veluti spiritu ducitur ac mouetur. Diceret Metaphysicus (Scholæ terminis addictus) ratio quædam veluti formalis sub qua, seu specialis quidam actuum Religionis modus, quo Religio quælibet suum Deo cultum exhibet, & ad Deum ipsum speciali quodam modo contendit. Quibus verbis discrimen innuo (ne quis æquiuocationis error obrepat) inter spiritum Religionis, & Religionis eiusdem gratiam, quæ

Quis spiritus Religionis.

tenus ad causam hęc efficientem pertineat, cùm sit diuinum quoddam subsidium, ad Regularis onus obseruantiæ ferendum, nec non illius obeunda dignè ac meritoriè munia: iste verò, ad formalem potiùs attineat causam, modúmque potiùs spectet agendi. Pergamus. Virtus illa est, quæ licèt non omnium fortè sit potissima: talis nihilominus, quam propensiori quodam affectu & inclinatione, Ordo quilibet respectiuè prosequitur & colit, tanquam aptissimum ac proprium sibi ad Deum Medium. Virtus, inquam, quæ magis redolet institutoris Ordinis ingenium, quæque vel in cæteris virtutum aliarum officiis, & actibus præscriptis in Regula, ampliùs sese prodere solet, illis-

queimmiſcere, illos vel imperando, vel modificando, vel illis vt plurimum ſeſe comitem adiungendo, cuius proinde vſus frequentior & praxis communior. Denique virtus illa eſt, quæ Ordini cuique reſpectiuè imitanda obtingit ex inſpecta in Christo Domino illius virtute prototypa. Quod quidem luculentiùs euadet, ſi monuero, Eccleſiæ ipſi dilectiſſimæ chariſſimo viciſſim ſponſo ſponſæ, nihil æquè in votis eſſe, nec in rem vllam enixiùs incumbere, quàm vt illi quàm maximè, & in quampluribus fieri poſſit aſſimiletur, id exigente amoris ratione, bene vtique conſcia iſtius Tertulliani, l. Panit. c. 4.

Obſequij ratio in animorum ſimilitudine conſtituta eſt.

Verùm vt tantam demirata eſt, & obſtupuit virtutum in ſponſo multitudinem ac eminentiam; probè intelligens, imitandis illis imparia nimis eſſe ſingula quæque membra ſua; quidnam tunc illa ſuper hoc negotio conſilij cœperit, aduerte pariter & admirare. Quandoquidem, inquit illa, ſinguli alumni mei non poſſunt vniuerſas, ſingulas ſaltem ſinguli æmulentur, atque capeſſant, partitis inter ſe virtutum illarum omnium penſis. Hinc qui Chriſti Domini contemplationem imitaretur, coaluit Carthuſianorum Ordo. Volũtariam illius paupertatem ſibi iure præcipuo vendicarunt Franciſcani, aliis animarum zelus, & alienæ procurandæ ſalutis ſtudium in partem obti-

git. alij orationis instantiam Christi pernoctantis in ea sectati sunt: obedientiam nonnulli præcipuo quodam studio & obseruantia colunt, & ita de cæteris. Et harum quamlibet cuique respectiuè Ordini aut Religioni contingentem virtutem, spiritum Religionis agnòsco, atque nuncupo. Quibus sic se habentibus, nónne consequens est, vt suum quoque spiritum habeat, suam inquam pariter virtutem specialem sortiatur Minimorum singularis, præcipua, & ab aliis essentiali voto distincta Religio? consequens certè, planéque necessarium. Hanc itaque requiramus, illius enim nos (utique professores) hæc plurimùm ignorantia dedeceret, aliarum præsertim tam benè

consultos ac conscios.

Quapropter etsi non vna eadémque sit, vel nostrorum hac de re sententia (quod mirum esse non debet, cùm in plerisque aliis vel notioribus, non rarò accidat, etiam apud sapientes, multa sententiarum varietate contentio) sine vllius ego tamèn aliter fortè etiam meliùs sentientis inuidia aut præiudicio, quod verisimiliùs visum fuerit, & ad præiacta fundamenta consequentius libenter exponam.

Qui propiùs ad hunc scopum hùc vsque noscuntur accessisse, dicam & attigisse, maximè videntur ij, qui vel charitatem vel pœnitentiam, vel humilitatem dixêre virtutem illam specialem esse, propriámque Ordini nostro. Nec minimis

illi quidem aut leuibus ducti coniecturis aut argumentis. Et quidem, pro charitate, ſtat exæſtuans affectus ille dilectionis in Deum ac proximum, qui in beato Patre enituit ac ſemper efferbuit, quo & Deo ipſi vſque adeò addictus ac deuotus erat, necnon in proximum ſic propenſus; vt quod in huius commodum & ſalutem, naturalis impenſa facultas ſua non poſſet, miraculis præſtaret; tam intenſus inquam, charitatis ardor, vt intus contineri non ferenti, erumpendi ſubinde foras neceſſitas eſſet, nunc conuerſa in candentem igne fornacem cellâ, nunc apparentibus circum coruſcantibus flammis, nunc erumpentibus illis ex eius ore ignitis verbis, (Per charitatem, quaſi fauillis,

aut globulis quibusdam, latentis intus flammæ testibus, qua ad opera singula raperetur, ex abundantia cordis ore loquente & eructante; atqui spiritum Regulæ legislatoris ingenium, propensionem, & impulsum suprà diximus. Quid quod in Regula passim nihil frequentiùs occurrat, quàm dilectionis charitatísve commendatio, nempe in hospites, erga infirmos, prælatorum in subditos, omnium denique in omnes? adeò vt B. Patris, vnus esse videretur communísque cum Euangelista Ioanne per singulas collectas (quæ Capitula nos dicere solemus) recantatus hic sermo, Filioli, diligite alterutrum, nam præceptum Domini est, & si hoc solum fiat, sufficit. Atqui spiritum

Ordinis diximus esse virtutem illam, quæ se prodit frequentiùs in Regula, aliísque virtutum actibus immiscet, illos dirigit & imperat: id autem charitatis prærogatiuam esse nemo nescit, in quam proinde virtutes omnes resoluuntur, & illarum actus omnes tanquam ad superiorem causam principiúmque referuntur, iuxta illud Apostoli, Charitas patiens est, benigna est, omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet, huc etiam spéctat insigne illud charitatis, & illustre stemma, sibi cælitùs ab Angelo, vt creditur, allatum, quo significabatur, præstantissimæ virtutis illius, & omnium Reginæ copiâ locupletandus atque dignandus. Ex quo concluditur vel chari-

1. Cor. 13.

ratem spiritum illum esse aut solum & vnicum quidem, aut ex duobus alterum ac præcipuum. quod omninò non improbo (si quidem insolitum non est, vt vnum corpus morale duas sortiatur quandoque animas, plures admittat in se formas. Venio ad alteram virtutem, pœnitentiam scilicet, pro qua militant.

Primò quòd eadem videatur esse specialis illa virtus Ordinis, quæ motiuum esse debet candidatis nostris, accessus sui aut ingressus ad Religionem nostram; vnde meritò Lydius lapis haberi debet, ad discretionem eius, quo accedunt spiritus, ad obsequium Christi; atqui motiuum illud, aliud non est, quàm pœnitentiæ studium, sic enim in Regula le-

gimus ad hunc Ordinem Minimorum quadragesimalis vitæ zelo, & maioris pœnitentiæ intuitu migrare cupientes, &c. alias enim, quæ illis esset huiusce nostri Ordinis præeligendi cæteris causa vel ratio? nisi alicuius occasione quod in eo sit præcipuum ac peculiare, aliis incommunicabile?

Accedit quod iuxta placitum Philosophorum, idem sit principium distinctiuum cuiusque rei, quod constitutiuum: distinguitur autem Religio nostra, etiam essentialiter (eo quo potest modo in moralibus inueniri distinctio essentialis) penes pœnitentiæ modum specialem in vita quadragesimali votiua, ergo & illam constituit: constituit autem differentia quæ specialis ac propria cu-

iusque rei perfectio est, quod aptissimè quadrat in Religionis spiritum, vt suprà visum est.

His tamen non obstantibus, verisimilior mihi videtur esse sententia, quæ humilitati prærogatiuam illam adiudicat; humilitati inquam, quæ ex Christo Domino per imitationem transsumpta est, quámque nobis ipse pluribus & verbis & exemplis commendauit, idque cùm in rebus quidem omnibus; tum maximè, in sustinendis despectibus, irrisionibus, interdum etiam opprobriis iuxta illud D. Bernardi, habuit in dictis contradictores, in factis exploratores & irrisores, &c. Ardua prorsus virtus hæc, & illius difficilis imitatio; sed patentior illius species in Christo, sed ad imitationem

paratior, ſed in nobis intentæ magis ab illo. Et ſi fiat, præſentis gratiæ pariter ac futuræ poſtmodum gloriæ, amplior expectanda retributio. Et ſanè animaduerſione digniſſimum eſt ad hanc humilitatem, neſcio quo genio, occulta neſcio quæ diuina prouidentia, vel inuitos nos quodammodo adigi atque compelli. Vix enim vlla eſt alia Religio in Eccleſia Dei, quæ (licèt immeritò) pluribus iſtis deſpectionibus (quarum tamen aliæ non omninò expertes ſunt) obnoxia videatur; nulla penè hominum prӕconiis obſcurior, nulla quæ minorem ſui prӕferat apparatum, nulla in quam tam impunè peccetur, nulla denique in quam inculti, aut irreligioſi homines aculeata liberiùs torqueant dicteria

sua, contumelias intentent, irrisoria iactent, aut imponant nomina, nunc fumosos, iam nos olidos, seu oleum redolentes, nonnunquam Icthyophagos, quandoque (ironicè quidem) bonos homines nominantes, quin & psychicos; siquidem non verbis modò, sed scriptis etiam hoc nos conuitio lacessantem audio Ioannem quemdam Mauburnum in suo Roseto (spinis vtique hispidiore, quàm rosis vernante.) Sed horum nihil lædimur, imò etiã gaudẽtes prætertimus à conspectu talium, nobis benè conscij, quòd digni habeamur pro nomine Christi contumelias pati.

Quid, quòd cùm vniuersa vitia turpissimam fœditatis suæ maculam improbo cuique cultori suo inurere soleant, super-

biâ tum maximè ac ſuprà modum vileſcere deprimíque Minimitanum hominem manifeſto conſtet experimento? indéque grauiores illi fortè (non dubium quin à dæmone) tentationes proueniant? Quid hoc rei obſecro? niſi quia profeſſionis ſuæ ſplendor, natiuáque illius perfectio, humilitate maximè conſtat? quàm idcircò labefactare, præcipuis æmulo ſuo in votis eſt, in ídque propenſiùs incumbit? mirum & iſtud, apud nos etiam compertiſſimum, (diuina procul dubio agente prouidentia) ſcilicet nullum ex antiquorum noſtrorum memoria viſum inter nòs ſuperbum, aut ambitioſum, quin mox deiectum atque depreſſum. & hoc altiùs quidem, quo temerarior fuiſſet auſus.

Non sunt hæc leuia, opinor, ad astruendam humilitatem, & in spiritum Religionis Minimitanæ assumendam, argumenta. Præponderat & ista sententia rationum momentis aliis, nempe quòd natiuum quodammodo beati Patris Francisci ingenium sit humilitas, quam semper & in omnibus præ se tulit, in omnibus comitem habuit, cuius & ipse quodammodo fomes extitit. Nascendum fuit? at vt prodiret, non suffecit naturalis potentiæ conatus, sed illum omnipotentis virtus extorsit, & miraculum interuenit, ipsa reclamante, vt ita dicam, naturâ, & quasi renitente ac inuito nihilo suo. Nam quemadmodum radices altiores, & quæ centro terræ coniunctiores

ſunt ſtirpes, difficilius reuel-
luntur: ſic quod inanius in ſe
ipſo eſt, operoſiùs extra cauſas
euocatur. glorioſum equidem,
ſed humillimum pariter natiui-
tatis iſtius exordium. Quid? vel
ſic iam natum, putares ſaltem
inſignibus illis refulſurum, qui-
bus ſæcularis vitæ profeſſores
gloriari ſolent? nequaquam,
ſiquidem infimo Calabriæ lo-
co natus, & proſapiâ ſi clarus, at
virtutibus ipſe maioribus lon-
gè præluxit ſuis, non diuitia-
rum copia præcipuus, nec hu-
manæ eruditionis luce coruſ-
cus. nec alio quopiam, quo ſi-
bi nomen apud homines face-
ret. Iam verò de vitæ futuro
ſtatú deliberandum eſt? ad cin-
gulum militiæ, manus non por-
rigit, non in forenſibus iudiciis
ſedem ambit, non præfectu-

ram, non quæsturam sectatur, nec illorum quidquam officiorum aut magistratuum, quod humanam sortem promouere posset, aut sæculo spectabilem exhibere; sed quod mundo reprobum, quódque penè omnes detrectant seruitutem Christi, cælibem præelegit vitam. Curiosus fortè etiam sciscitaberis, in quo militantis Ecclesiæ steterit ordine? aut quo in ea se gradu dignum reputauerit? dico, omnium infimo, imò infra omnem gradum consistere gestiit: nam ne Subdiaconatu quidem voluit insigniri, haud dignandum se hoc titulo passus, sed heremitica & solitarij sorte contentus, hoc Deo manifestior, quo mundo lateret ignotior. Magna vbique humilitatis argumenta

menta. Verùm erumpente suarum aliquando virtutum è tenebris luce agnitus, & à pluribus pietatis ac Religionis studio conuentus, intelligens secretum suum, non iam sibi, sed posthabitâ iucundiori suæ quondam solitudinis vsurâ, proximorum saluti consulendum esse, conuictu secum plurium, & admisso sodalitio, quo illud nomine nuncupari voluerit notissimum est. Equidem secundam Regulam suam, ab Alexandro VI. confirmatam his verbis auspicatus est, Fratres minimorum Minimi, &c. Certè in frontibus ædificiorum, stemmata Principum virorum prostant, & in militia Romana, suggestus Imperatorum ab antesignanis præferebantur, sic se principio Regu-

læ ſpiritus prodit. Perperam etiam impenſum crederem ſtili mei officium, in recenſendis illius iam in Patriarch. m, vel inuitè, prouecti, humilitatis exercitiis ac penſis, dum accumbentibus menſæ fratribus, ſollicitè miniſtraret, nouitiorum conſuendis, & reſarciendis (ſi quando detritæ eſſent, veſtibus, iiſdémque lotione purgandis operas impenderet, repaſtinandis areolis, geſtandis ad fabricam oratorij, aliarúmve ſacrarum ædium cœmentis ac lapidibus deuotiùs incumberet. Nunquid tot ſunt humilitatis ſuæ monimenta quot officia? quot actiones, tot obſequia? ſed necdum illorum finis. Pergamus, ſic compoſitis rebus ſuis, & per totam Italiam benè audientibus ac

fragrantibus in Christo virtutibus, imò etiam in Galliam vsque personantibus, illic tunc regnanti Ludouico XI. subiit cogitatio, de accersendo ex Italia beato viro (spe vt creditur productioris vitæ nec modicum salutis suæ pręsidium in eo præsente fore speranti) sed quibus illum adductum iri putamus machinis? & à patriæ finibus euellendum? honorificentissimis fortè litteris ad eum missis à Rege Christianissimo? sed his, ne loco quidem motus est. Vel iterùm legatione ab eodem potentissimo Rege missa per illustrissimum virum Dominum de Baudricourt Franciæ Marescallum & Burgundiæ præfectum ad Regem Neapolitanum Ferdinandum huius nominis primum? sed

nec ambo illi reges cum internuntio quidquam potuêre, nec profuêre. Quid ita? humilis erat, nullum in eum ius splendori, nullum apparatui arbitrium fuit. Quid ergo flexit? quid tandem euicit? Sixti IV. summi Pontificis accessit imperium, mox obedientiæ humilitatísque processit obsequium, hoc viri sanctissimi ingenium fuit.

Sed adhuc in rem meam ampliori consideratione dignum est, quod iam subtexo. Cæteris (vt creditur) sanctis miraculorum gloriâ & charismate auctior fuit, ob eam existimo causam, quod humilitate præstaret: hanc enim virtutem fidei coniunctam ad hoc donum esse non dubito gradum proximum, hac ratiocinatione per-

suasus, quòd Optimus Maximus ad omnia opera sua moueri soleat ex intentione ac fine gloriæ comparandæ aut vendicandæ. Vniuersa enim propter semetipsum operatus est Dominus Prouerb. 16. 4. illisque sit vnum aut primum in beneficiis omnibus donísque gratuitis impartiendis propositum hoc, vt sciatur, & boni totius auctor atque largitor esse intelligatur, cui omnia proinde referantur accepta. Hic inquam, vnus illi quasi ex mutuo suo quæstus. Hunc porrò fructum non facit, nec refert, nisi ab humilibus: quippe cùm vera sui cognitione sibi ipsis vilescant, ideóque nec errore decipi possint, ne non videant, tam se, quàm sua quæque à Deo esse; nec se sic ament aut com-

placeant sibi, vt laudem ex illis emergentem, furtiuâ subductione vendicent, aut (quod paris est nequitiæ, in illius gloriæ societatem cum Deo venire præsumant; hinc inquam, accidit, vt illi penitus renuncient, séque ab illius vel tantilla suffuratione contineant, quin etiam, vt vnde deriuari gratiæ illa fluenta intelligunt, hûc inquam, sollicitiùs referant, aut reuerti sinant, non sic apud superbos, non sic apud vanos, suique nimium amantes homines agitur, quorum
Dan. 4. potiùs ea vox est, Ego feci memetipsum, & iterùm, Nónne hæc est Babylon ciuitas magna quam ædificaui in robore fortitudinis meæ, & in gloria decoris mei?

Rursus si quod charisma, si

quæ gratia infirmorum hominum vanitatem palpare solet, si cuius infirmam humilitatem labefactare, donum certè miraculorum est, vt pote stupendum ac suspiciendum, & ad diuinam propemodum sortem prouehens homines; lubricum proinde doni istius tanti culmen, ipsis inquam, infirmis adhuc hominibus, necdum humilitatis pondere satisfixis, aliunde verò, lapsus grauior imminet, & piaculum maius ingratitudinis, & subductæ laudis alienæ, eius scilicet, quæ alteri quàm Deo soli deberi non potest, aut reddi debet. Ex quibus concluditur, heroicæ cuiusdam altissimæque humilitatis in eo, vel existentis, aut illi debitæ. copiam esse necessariam, cui donum istud

tantùm conceſſum fuerit, hócque præſtantioris cumulatiorisque, quò donum iſtud, cum amplitudine tanta, & per modum habitus (vt vocant) creditum fuerit. Hoc porrò tam inſignis chariſmatis ſpiritu pręcipuo auctum fuiſſe B. Patrem Franciſcum, apud omnes qui legerint in confeſſo eſt, planéque conſtitit, miram in eo extitiſſe humilitatis reſpectiuæ virtutem, quando ipſius etiam tanti miraculorum chariſmatis menſuram exceſſerit, obſcurarit fulgorem, occluſerit diem. mirum dico, ſed verum. accipe ſi lubet hanc dicti mei cautionem. Quandonam ille obſecro miraculum patraturus, futuro tanti effectus ſplendori velum non oppandit? quando humiles naturalium rerum ſpe-

cies, ad occultandum non obtendit? & quas potuit tenebras non offudit? mentiebatur ille naturalem effectum, dum ederet miraculum, occultabat illum, vt lateret ipse, & ne Thaumaturgi existimationem incurreret. Sed quid agis vir optime & humillime? attende tibi, imò forsan nimium tibi, vereor etiam ne plusquam Deo ipsi, dum vt lateas cautiùs, sitque tuæ humilitati securius consultum, Dei gloriam in miraculo manifestam obuoluis & obscuras? Verùm sciebat vir sapientissimus, nulli quempiam esse bonum aut honorificum, qui sibi nequam esset. Intelligebat vir sanctus, gratuita dona, etsi ad aliorum essent vtilitatem, non tamen ad habentis

sius exitium instituta vel ruinam. Nescius non erat, gratum facientis doni (vt vocant) aut ad illud attinentis humilitatis, magis habendam esse rationem, quàm eius quod gratis datum Theologi nostri vocant. Denique spiritualium rerum æquissimus æstimator, probè nouerat, humilitate sua, plus obsequij præstari Deo, quàm ex stupore plurium eidem gloriæ accederet, & ideò præcauens ipse sibi, diuinæ prospiciebat glorificationi, laudem Dei promouebat, illam dum etiam opprimeret. Hoc igitur tam insignis, & vt ita dicam, portentosæ humilitatis spiritu, in omnibus agi ducique solitum B. Patrem quis ambigat? nedum in propriis actibus, aut priuatis exercitiis (vnde meri-

tò ſpiritus ſuus dici queat) ſed eadem quoque motrice virtute, quocumque mouerentur & ſui, id eſt, ad quoſcumque virtutum actus admouerentur alumni, flecti voluiſſe eos par eſt credere; cuius optima coniectura eſt, quòd nullum ferè ſit Regulæ præceptum, cærimoniæ nullæ, vix vlla Regularis obſeruantia, aut præſcriptæ virtutis actus; in quibus humilitatis ſpecies aliqua non eluceat, quorum proinde veluti conditura, modus, motrix, atque adeò ſpiritus Regulæ ſeu Religionis noſtræ decus dici queat humilitas. Prælaturam ſuſcipis? benè eſt, ſed humillimam, ſed ſubiectioni obnoxiam & alternâ vice breui commutandam, ſed in pleriſque ipſorum vel ſubditorum

obnoxiam arbitrio, quasi specialiter sit nostris dictum Prælatis, Reges gentium dominantur eorum, vos autem non sic. Quanto verò magis altioris erunt prælaturæ subditi placito? quando subalternus superior, etiam est obnoxius subdito suo? Vtrisque porrò non vestis amplior, non victus lautior, non potus largior, sed æqua sibi cum nouissimis rerum omnium sit mensura & modus, sintque primi nouissimi: Superiores itaque nomine solo præstare quodammodo ceteris videntur: quibus idcircò apprimè quadrat istud, de philomela Spartiani cuiusdam, vox est inquientis, & prætereà nihil. Pergamus; exeundum est domo, vel claustro; Licebit Prælato, sed ne-

ceſſariis tantùm de cauſis inſuper, & ex aſſenſu ſeniorum, & ſcientia totius Capituli. Eccleſiaſticus indultus eſt cantus? benè eſt, ſed ſine ſuperbia vocis, ſine notularum modulatione; ſine mollitie vocalium inflexionum, ſine luxuria caudæ, (nobis enim cauda dicitur ſyllaba vltima aliis longiùs aliquanto protracta) Altaris conceſſus eſt vſus? optimè, ſed in auguſto Templo, non circumornati fulgentibus, nec plurium frequentia miniſtrantium muniti. Concionaberis, ſed ad ædificationem, non ad oſtentationem. Poterunt Fratres, inquit B. Pater, prædicare cum breuitate ſermonis annunciando populo vitia, virtutes, pœnam & gloriam.

Reg. 1. cap. 6.

Docebis, ſed laureâ Docto-

rali interim carebis. Honorifi-co sanctóque Religionis amicieris habitu; sed qui natiuo colore hoc est fumoso, obscuritatem tuam, staminis verò atque subteminis crassitate, vilitatem prodet. Conueniendi Superiores subinde facultas erit, sed ea lege, vt præsentes venereris gestu reuerentiali, humilíque affatu (vt ait Regula) præfulgeas cæteris licet, virtute, eruditione, prosapia, &c. nulla tamen idcircò præcessione, aut alia quacumque prærogatiuâ præstabis. Nihil tibi ex necessariis ad tenuem quidem victum vestitúmque non suppetet, per diuinam circa te prouidentiam; Verumtamen mendicus eris. Rursus si te ad equitationem necessitas adegerit; conscendes qui-

dem, ſed aſinum mulúmve. Memores (inquit Regula) quòd humilitas Redemptoris taliter incedere non renuit. En certè exemplaris ac prototypa humilitas. Ex quibus aliiſque quamplurimis apparet, humilitate cuncta apud nos geri, humilitatem noſtris in omnibus præferri & obtendi, illam ſtudioſis actibus noſtris omnibus imbibi, illis modum ponere; motum imprimere, in eam denique omnia noſtra reſolui, & conſequenter meritiſſimo iure ſpecialem virtutem illam atque adeò ſpiritum Ordinis agnoſci debere.

Iam videamus quantum ſit illud, quod nobis negotium faceſſunt aduerſæ partis rationes. Igitur ad pri-

mam quæ ſtat pro charitate, reſpondeo charitatem ex natura ſua feruidum ac igneum quemdam affectum eſſe, vnde mirum non eſt, ſi vbicumque reperitur, maximè ſe prodat & habentem vehementiùs concitet, cæterıſque ſtudioſis affectibus emineat. Iam verò quòd charitas ipſa virtutes omnes ad actus ſuos admoueat, illiſque imperet, illos dirigat: id inquam, illi competit, non quatenus ſpiritus eſt Regulæ, ſed qua ratione charitas eſt; nam, vt ſic, princeps virtus eſt, cui proinde competit ius in omnes ac imperium. propterea recolendum eſt, quod ſuprà meminimus, ſcilicet ſpiritum Ordinis, virtutem illam eſſe, quæ ſit ratio ſpecialis, ſeu proprium cuique Religioni quoddam

medium, quo perducitur ad finem, perfectionem vtique suam. Ex quo deducitur, charitatem non esse spiritum illius, nam perfectio ipsa consistit in vnione cum Deo, quæ fit per affectum charitatis immediatè & formaliter, vnde formalis est ipsa perfectio charitas: atqui, vt sic seu qua talis, est ipse finis, finis autem & medium relatiua appositione distermi-nantur. quàm verò id aptiùs humilitati congruat, vel ex hoc manifestum est, quod quo quisque per humilitatem sibi ipsi magis vilescit, & se minus amat hoc suus in Deum, ampliùs affectus præualet & exæstuat. Ad primam pro pœnitentia, dico, pœnitentiam motiuum quidem esse accessus ad Religionem nostram, sed

commune & generale, omnibus Religionibus, nam Religionem esse pœnitentiæ statum admittit D. Thomas, & alij Theologi. Quo etiam spectat illud sancti Hieronymi, quod refert Gratianus. Monachus, inquit, non docentis, sed plangentis habet officium, qui se vel mundum lugeat, & Domini pauidus præstoletur aduentum. Atqui spiritus Ordinis, cuique proprius ac peculiaris est, varietas autem illa intensioris aut remissioris pœnitentiæ, parum aut nihil refert, nam magis aut minus non mutant speciem, inquiunt Philosophi.

Ad secundum respondeo, pœnitentiam in vita quadragesimali, esse principium distinctiuum & constitutiuum

Religionis Minimorum, prout pœnitentia est votiua, vt sic non simpliciter; nam nisi caderet sub votum, intelligi non posset essentialiter distinctus per eam Ordo noster ab aliis. Denique de virtute hîc agitur, quam vnusquisque Religiosus Ordo sortitus est imitandam in Christo virtutum Domino atque prototypo, vt ex supradictis supponimus: atqui pœnitentia nec actu, nec potentia in Christo fuit, teste Diuo Thoma, & aliis melioris notæ Theologis. Maneat igitur rata fixa conclusio in gratiam humilitatis, à qua ipso vel summi Pontificis iudicio, nomen meritissimè Religio nostra sortita est, quam & ipsa Religio in nobis idoneam & necessariam ad se requirit dispositionem. Hæc

D. Th. in 4. distinct. 14. q. 1. a. 3. & q. 3. ad arg. Ricard. 4. dist. 14. a. 2. q. 3. De Ales. 4. p. q. 12. membro 1. a. 1. § 1. Palud. q. 4. maior. q. 2.

est Regula mitis & sācta, quàm vos hortamur, inquit B. Pater, humiliter suscipere, quam denique collectis officij proprij, concedi nobis à Deo postulamus obnixiùs, vtinam & impetremus. Amen.

FINIS.

CORRIGENDA. corrigenda

Pagina 2 *linea* 8. intentione. *lege*, intensione. *pag.* 3. *l.* 13. & si, *lege* etsi. *p.* 12. *l.* 3. *post* lib. 21. *omissum* de ciuitate Dei. *p.* 26. *l.* 8. prouocant, *lege* prouocat. *p* 46. *l* 1. addamus, *lege* fateamur. *p.* 47. *l.* 4. merito repensis, *lege* meritoriè pensis *p.* 58. *l. vlt.* ipsius, *lege* ipsis. *p.* 63. *l* 13. deuictum iri, *lege* deuinctum iri. *p.* 75. *l.* 1. didisceras, *lege* didiceras. *p.* 77. *l.* 19. viuentibus, *lege* animantibus. *p.* 80. *l.* 17. &, *lege* quia. *p.* 92. *l.* 17. quæ, *lege* que.

